HOLZINGER VON WEIDICH
DE VERBORUM LUSU.

DE VERBORUM LUSU

Die Wortwitz

APUD ARISTOPHANEM

SCRIPSIT

CAROLUS HOLZINGER.

VINDOBONAE.
SUMPTIBUS A. HOELDERI.
MDCCCLXXVI.

N 1876

DE VERBORUM LUSU

APUD ARISTOPHANEM

SCRIPSIT

CAROLUS HOLZINGER.

VINDOBONAE.
SUMPTIBUS A. HOELDERI.
MDCCCLXXVI.

DE VERBORUM LUSU

APUD ARISTOPHANEM

SCRIPSIT

CAROLUS HOLZINGER.

VINDOBONAE.

SUMPTIBUS A. HOELDERI.

MDCCCLXXVI.

> „Sed cum plura sint ambigui genera, de quibus est doctrina quædam subtilior, attendere et aucupari verba oportebit."
> Cicero de or. II. 63.

I.

Si quis graeca in Aristophanem scholia evolverit, pleraque, quae in eius comoediis risum nobis movent, scholiastas his fere verbis usos videbit explicavisse: *παίζει, παρῳδίᾳ χρῆται, ἔλεγεν ἀντὶ τοῦ . . ., παιδιά ἐστι, σκώπτει, κωμῳδεῖ, παρ' ὑπόνοιαν, παρὰ προςδοκίαν τοῦτο, ἀπὸ μεταφορᾶς, γελοίου χάριν, εἰδωλοποιεῖ, ἥδιστα διαλέγεται, δέον εἰπεῖν . ., περιφραστικῶς, αἰνίττεται, παρεποίησε τὸ ὄνομα ἀπὸ . . ., διαβάλλει, χλευάζει, ἀμφιβόλως λέγει, διασύρει, εὐφημισμός, σαρκασμός, ἀναγραμματισμός, ἀστείως, χαριέντως, ἀλαζονικῶς, φορτικῶς, ἀναμωκώμενος, παιγνιωδῶς, κεκαλυμμένως, κακεμφάτως λέγει, διλημμάτους τίθησι λέξεις, κατηγορεῖ, καθάπτεται, γελοιάζει, παρὰ γράμμα κωμῳδεῖ, χαριεντίζεται, περιεσταλμένως βούλεται λέγειν, τοῖς μέσοις ῥήμασι χρῆται, εἰς τὸ αἰσχρὸν ἀποτείνει, ἐκακίζετο, ὀνοματοποιεῖ, παρεγραμμάτισε, ὀνειδίζει, παρήχηται, ἐχρήσατο παρὰ τὸ . ., ὡς πρὸς . ., ὡς εἰ ἔλεγεν, ὡς συκοφαντούμενος . . ., ἐπεὶ ἔγκειται . . ., ἐπίτηδες συνήγαγε τὰς δύο λέξεις, εἰς αὔξησιν τῆς κωμῳδίας, κομψῶς τῇ ἀμφιβολίᾳ ἐχρήσατο, δύο ἐννοίας ἔχει, βούλεται εἰπεῖν, διττῶς νοητέον, εἰς τὸ . ., τροπῇ, εἰρωνείᾳ χρῆται, προςποιεῖται.*

Quae copia verborum inesse aliquid ridiculi in poëtae versibus significantium, quamquam rem leviter attingenti videtur sufficere, ut vel facetissimi scriptoris facetias omnes iis denotemus, tantum tamen abest, ut propria singulis facetiarum generibus nomina dare possimus, ut poëta undique et in omnes velut e copiae cornu sales suos dispergens et rebus ipsis spectandis et vocabulorum vel sonis vel sententiis per mille figuras ludens irritos fere eorum labores reddat, qui gemmis illis in ordines quosdam

dispositis singula quaeque certis quibusdam delectantium aut rerum aut verborum generibus annumerare posse sibi videantur.

Nec tamen defuerunt, qui vel antiquissimis temporibus ad hanc rem animos attenderent. Ex quibus ille praesertim, quem commentatorem in Aristotelis de Poëtica tractatum fuisse Cramerus putavit, [1]) inter omnes, quos quidem Duebnerus in prolegomenis ad scholia graeca collegit, *περὶ κωμῳδίας* scriptores, maximum *τοῖς γελοίοις* studium impertivit. Schema enim ille aliquod, ut aiunt, composuit, quo septem genera risus *ἀπὸ τῆς λέξεως*, octo *ἐκ τῶν πραγμάτων* exorientis distinxit.

Nec vero quisquam putabit nostrum esse, ut de his quindecim, quae Graeculus ille constituit, aut rerum aut verborum ridiculorum generibus accuratius inquiramus; non enim arbitramur fore, qui integra illa partitione in enarrandis poëtae comici virtutibus uti velit; attamen dubitare non licet, quin primaria illa, secundum quam risus omnis aut rebus debeatur aut verbis, iusta sit divisio.

Qua re perpensa si quis, quae supra memoravimus veterum Aristophanis interpretum verba, perlustraverit acrius, facile ille omnia fere ad lusus in verbis solis quoquo modo positos pertinere intelleget; nam quae ridentur in rebus, leviter et parum accurate solent attingere, ita ut non videantur fuisse ignari, quanto maiores in rebus quam in verbis quibusdam ridiculis denominandis laterent difficultates. Quas ne quis putet vinci posse facile! Nam cum Trygaeus cantharo vectus caelum petit, ridet certe caterva theatris stipata; hoc enim dulce, hoc melli est; sint forsitan, qui sciant, quid et cur rideant; quotus vero quisque est, qui totius rei, quam modo ridentes spectabant, vim comicam intra arctos unius vocabuli limites coërcere et, quod est etiam maius, accurate voce definire et circumscribere queat?

Et in hisce quidem angustiis in omni re comica haeremus, neque est haec difficultas ad solum Aristophanem referenda. Accedunt in rebus comicis veterum scriptorum explicandis multa et alia, quae legentibus nobis, non spectantibus eorumve aetate viventibus, non leves quasdam molestias parant, sed maxima faces-

[1]) in anecd. Paris. Vol. I. 403; cf. Duebneri schol. graec. in Aristoph. pag. XXVI.

sunt negotia. Quae ii viderint, qui de Aristophanis fabulis in scenam et commissis et committendis scribendi laborem nobilem susceperunt; scripturo mihi de verborum lusu apud Aristophanem ad voces illas redeundum est, quas e scholiastis colligebam. Quarum numerus nonnullis poterat augeri, nec vero pluribus opus erat. Nam praeterquam quod sunt vel inter illas, quas in explicando aut tripudio aut quolibet gestu ridiculo possis adhibere, longam enumerabamus earum seriem, quae generatim tantum capi nonnihil e verbis quibusdam oblectationis adumbrant magis, quam exponunt; quae sunt: *παίζει, παιδιά ἐστι, γελοίον χάριν, ἥδιστα διαλέγεται, αἰνίττεται, ἀστείως, χαριέντως, ἀλαζονικῶς, φορτικῶς, γελοιάζει, χαριεντίζεται, εἰς αὔξησιν τῆς κωμῳδίας, προςποιεῖται.*

Atque exempla quaedam, quae huc spectent, afferre etiamsi facile videatur, tamen non erit inutile. Ranas igitur evolvamus. Dicit in vss. 21—23 [1]) Dionysus:

εἶτ' οὐχ ὕβρις ταῦτ' ἐστὶ καὶ πολλὴ τρυφή,
ὅτ' ἐγὼ μὲν ὢν Διόνυσος, υἱὸς Σταμνίου,
αὐτὸς βαδίζω καὶ πονῶ, τοῦτον δ' ὀχῶ κτλ.

In scholiis haec reperimus:

σταμνία καὶ στάμνους καὶ ἀμφορεῖς τοῦ οἴνου φασίν· παίζει δὲ ἅμα καὶ πρὸς τὸ σχῆμα ὅτι υἱός εἰμι σταμνίου. Ἄλλως. ἔπαιξεν ἐπεὶ ὁ κέραμος ἐν ἑαυτῷ βαστάζει τὸν οἶνον ὥσπερ παῖδα καὶ τρέφει.

Annotavit igitur scholiasta verbis *υἱὸς Σταμνίου* risum cieri. Num vero sunt ipsa haec verba ridicula? an non idem remaneret iocus, etiamsi aut *Πίθου* aut *Ἀμφορέως υἱόν* Baccho nomen indidisset? Puto equidem. Non ipsa igitur verba *υἱὸς Σταμνίου* ridentur; sed dum haec verba audimus, cogitatione velut imaginem quandam comprehendimus, et quod celeriter fingebamus, ubi vanum esse et ratione carere intelleximus, ridemus. Risus igitur non e re quadam ortus est — nil enim fiebat in scena, nil agebatur, quod esset ridiculum — sed ficta quaedam res verbis circumscribitur; quam si eo, quo ipse poëta finxit, modo refinxerimus, ridebimus.

Acharnensium comoediam evolve! Amphitheum videt Dicaeopolis Lacedaemone accurrentem. *Χαῖρε,* inquit, *Ἀμφίθεε.* Cui ille (in vs. 176): *μήπωγε, πρίν γ' ἂν στῶ τρέχων.*

---

[1]) Aristophanis versus denotabam e Teubneriana Th. Bergkii editione quae in versuum computatione a Dindorfiana (Lipsiensi, poët. scen. graec.) fere non discrepat.

Ad quae haec addidit scholiasta: *Γελοίον χάριν είπε πρός τό χαίρειν τό μήπω.* Et recte quidem. Quid enim magis est ridiculum, quam si quem paulum velimus prohibere, quominus nos salvere iubeat? Non vero *μήπωγε*, ipsa verba dico, ridiculum est. Poterat enim aliis poëta verbis uti, quae, si modo eadem significarent, aeque risum audientibus moverent, veluti: *ἀνάμενε, ἕως ἂν στῶ τρέχων.*

In festiva illa altercatione, quae inter Dicaeopolin et senes Acharnenses intercedit, Dicaeopolis corbem et carbones, qui continentur in illo, sic alloquitur vss. 347—348:

ἐμέλλετ' ἆρ' ἅπαντες ἀνασείειν βοήν,
ὀλίγου δ' ἀπέθανον ἄνθρακες Παρνήσιοι κτλ.,

quos versus scholiasta non praeteriit silentio. *Ἠθικώτατα*, inquit, *καὶ ἥδιστα πρὸς τοὺς ἐν τῷ λάρκῳ ἄνθρακας διαλέγεται.* Ac non id tantum his in verbis placet, quod ipsis vocabulorum sonis *ἄνθρακες Παρνήσιοι* adducimur, ut Dicaeopolin *ἀνδράσι Παρνησίοις* colloqui putemus, sed tota haec oratio perpetua quadam festivitate iam propter id solum redundat, quod ad rem quandam vitae sensusque expertem conversa est. Id enim ipsum ridiculum et subabsurdum est quodammodo, si quis cum carbonibus colloquitur; nec quidquam refert, quibus verbis, utrum seriis, an ridiculis utatur.

Ac similes quidem scholiastarum notas invenies sexcentas; erit etiam, ubi simillimis in locis diligentiam eorum desideres, velut in Ran.

vs. 588: *κάκιστ' ἀπολοίμην, κἀρχέδημος ὁ γλάμων.*
vss. 621—622: . . . . *πάντα τἆλλα, πλὴν πράσῳ*
μὴ τύπτε τοῦτον, μηδὲ γητείῳ νέῳ.
vss. 633—634: *καὶ πολύ γε μᾶλλόν ἐστι μαστιγωτέος.*
εἴπερ θεὸς γάρ ἐστιν, οὐκ αἰσθήσεται.

Quae ridicula sunt omnia, quamquam seriis verbis expressa.

Haec igitur, quae nonnullis versibus illustrabamus, innumerabilia sunt exemplis, et ne generibus quidem pauca. Variae enim diversaeque sunt cogitationes, quae acute dicta sequuntur; quam ob rem diversae sunt vel ipsae ridendi causae, etiamsi eodem ex loco risus oriatur. Est enim in quo similia dicas, quae proferebamus exempla omnia. Namque non e re acta gestuve ridiculo, neque e verbis ipsa natura iocularibus, sed perpetua illa festivitate, quae fictas res nobis ministrabat, oriebatur risus.

Nobilissimum vero inter ea, quae iure huc referuntur, facetiarum genera — sunt enim, ut dixi ante, non pauca, et hoc unum e reliquorum turba, quippe in quo Aristophanes praeter omnes esset multus, segregavi et huic loco reservavi — nobilissimum, inquam longeque celeberrimum est, irrisionis. Quot ille mendaciis Socratem, quot calumniis Euripidem petivit! Quantopere in Agathone turpicula quaedam auxit! Quid dicam de Cleone, in quem quaecunque sunt convicia coniecit? Quid de universo Atheniensium populo? Quo illos probro non exagitavit? Quid quod vel dii immortales hominibus documento erant, non esse quemquam, qui ab acerbo poëta veniam impetraret! Quid igitur mirum, si etiam apud scholiastas multa reperias, quae ad id genus pertineant? *Κωμῳδεῖ*, legimus apud illos, et *σκώπτει, διαβάλλει, χλευάζει, διασύρει, κατηγορεῖ, καθάπτεται, ὀνειδίζει, ἐκακίζετο, ὡς συκοφαντούμενος, ἀναμωκώμενος λέγει, σαρκασμός ἐστι, εἰρωνεύεται*, similia.

Atque utuntur his verbis scholiastae, cum Aristophanes celeberrimum quemque virum criminibus arguit, peculatus demagogum, philosophum argutiarum, mollitiae poëtam et ita quidem, ut non e verbis quibusdam, quae seria esse possunt minimeque ridicula, sed e re quadam non ficta modo, sed etiam narrata voluptatem plerumque percipiamus.

(1.) Contrarium certe fit, ubi poëta voces quasdam aut mire detorquet aut nova plane vocabula mirabili cum audacia fingit; illic enim in rebus repraesentatis totius loci cardo versabatur, verba fortuita erant, aut etiamsi non sine arte quaesita, tamen alia illis substitui poterant; hic in ipsis verbis, in vocabulorum aut formis aut sonis intus haerent attici illi sales, quos etiamsi nequeas degustare, quin vim simul notionemque verborum et versus sententiam respicias, tamen una cum formis evanescere et veluti deflorere senties. Nam quod, quibuscunque verbis dixeris, facetum tamen est, re continetur; quod mutatis verbis salem amittit, in verbis, ut ait Tullius,[1]) habet leporem omnem.

Quam leviter Strepsiades ille in Nubium versu 1206, gloriabundus et suasmet ipsius laudes cantaturus, a solita nominis sui forma declinat!

---

[1]) de or. 62. 252.

. . . εἰς ἐμαυτὸν καὶ τὸν υἱὸν τουτονὶ
ἐπ' εὐτυχίαισιν ᾀστέον μοὐγκώμιον·
μάκαρ ὦ Στρεψίαδες,
αὐτός τ' ἔφυς, ὡς σοφός,
χοῖον τὸν υἱὸν τρέφεις. . .

Et tamen quam festiva in nobiliore hac forma est insita dulcedo!

Quam lepide Mercurius in Pacis vss. 214 -215. Lacones de Atticis loquentes facit!

ναὶ τὼ σιώ, νῦν 'Αττικίων δώσει δίκαν.
εἰ δ' αὖ τι πράξαιτ' ἀγαθὸν ἀττικωνικοὶ
κἄλθοιεν οἱ Λάκωνες εἰρήνης πέρι,
ἐλέγετ' ἂν ὑμεῖς . . . . . .

Magis vero etiam ex iis, quae ipse finxit poëta, vocabulis apparebit, quod paulo ante de toto hoc genere disserebamus.

Nam si, quos σφραγιδονυχαργοκομήτας (Nub. 332), pulchellos, quos κωδωνοφαλαροπώλους, σαλπιγγολογχυπηνάδας, σαρκασμοπιτυοκάμπτας (Ran. 963—966), gloriosos, quem nominavit κυμινοπριστοκαρδαμόγλυφον (Vesp. 1357), dixisset tenacem, si pro eo cibo, qui in Eccles. vss. 1167—1174 vocatur λεπαδοτεμαχοσελαχογαλεοκρανιολειψανοδριμυποτριμματοσιλφιοπαραομελιτοκατακεχυμενοκιχλεπικοσσυφοφαττοπεριστεραλεκτρυονοπτεκεφαλλιοκιγκλοπελειολαγωοσιραιοβαφητραγανοπτερύγων, minutal aliquod afferri jussisset, περικομμάτιά τινα vel similia, e sublimi, qui poëtam decet, loco ad forensem illum ieiunumque sermonem descendisset.

Quibus in iocis denotandis cum scholiastae aut generaliter tantum verbo παίζει aut addito etiam παρὰ τὴν ἀναλογίαν utantur, raro denique ad ficta quaedam nomina velut ad ὦ Μαριλάδη (Ach. 609) annotent, qua e radice poëta vocabulum deprompserit: πάρεποίησε τὸ ὄνομα ἀπὸ (τῆς μαρίλης), ad alterum harum, quae sunt in verbis, facetiarum genus procedemus.

(2.) In quo quidem ea continentur vocabula, quae Aristophanes alio sensu ab aliis usurpata ad eas res applicat, ad quas secundum loquendi normam usu sacratam non solent pertinere. Habes exemplum in Ach. vss. 679—681: γέροντας . . . . κωφοὺς καὶ παρεξηυλημένους. Ἐκ μεταφορᾶς, ait scholiasta, τῶν παλαιῶν αὐλῶν καὶ ἀχρείων. κυρίως γὰρ παρεξηυλῆσθαι λέγονται αὐλοὶ οἱ τὰς γλωσσίδας διερρηγμένοι.

Confer etiam Equ. vss. 257—260. Cleoni enim querenti, quod a coniuratis quibusdam verberaretur, haec chorus respondit:

ἐν δίκῃ γ', ἐπεὶ τὰ κοινὰ πρὶν λαχεῖν κατεσθίεις
κἀποσυκάζεις πιέζων τοὺς ὑπευθύνους σκοπῶν
ὅστις αὐτῶν ὠμός ἐστιν ἢ πέπων ἢ μὴ πέπων κτλ.

Quo de loco praeter alia haec fere leguntur in scholiis: *Διαλογιζόμενος; καὶ ὁρῶν, καὶ πολυπραγμονῶν. ὠμὸς δὲ, σκληρὸς, δυςκαταμάχητος. ἀντὶ δὲ τοῦ εἰπεῖν πένης, ἢ πλούσιος, ἐπέμεινε τῇ μεταφορᾷ ὡς ἐπὶ σύκων. τὸ δὲ πέπων ἢ μὴ πέπων ἀντὶ τοῦ ἁπαλὸς, ῥᾳδίως διασεισθῆναι δυνάμενος. μεταφορικῶς δὲ ἀπὸ τοῦ συκάζειν τούτοις τοῖς ὀνόμασι κέχρηται κτλ.*

Est etiam ubi allegoriam invenias. In eiusdem comoediae vss. 526—528 haec leges:

εἶτα Κρατίνου μεμνημένος, ὃς πολλῷ ῥεύσας ποτ' ἐπαίνῳ
διὰ τῶν ἀφελῶν πεδίων ἔῤῥει, καὶ τῆς στάσεως παρασύρων
ἐφόρει τὰς δρῦς καὶ τὰς πλατάνους καὶ τοὺς ἐχθροὺς προθελύμνους.

Quae non semper necesse est esse ridicula; verum sunt plerumque; nonnumquam vero etiam ipsae ampullae acerbissimos quosdam, quos non exspectaveris, aculeos non sine dolo occultant. Ubicunque enim aut unum verbum translato sensu adhibueris aut totam orationem immutaveris, quas quidem *τροπάς* et *ἀλληγορίας* scholiastae innumerabiles fere apud Aristophanem notaverunt, duplex quodammodo fit verborum sententia, quarum altera in ipsis verbis inest, altera in verbis veluti latere sentitur; unde fit, ut poëtá facilius his translationibus, quam ad alia facetiarum genera inopinatos quosdam iocos possit admiscere.

(3.) Non minor ~~spectantis turbae~~ cachinnus excitatur, quotiescunque velut ex improviso et praeter exspectationem alterum alterius vocabuli sedem occupat. Quod quidem facetiarum genus quamquam non semper videtur dissimile, eo tamen differt ab illo, de quo modo agebamus, quod in priore in solis fere vocabulis ridendi causa posita est, in hoc sententiarum plerumque repentina fit commutatio. Interest vero aliquid inter eos locos, ad quos scholiastae annotare solent: *παρὰ προςδοκίαν, παρ' ὑπόνοιαν, δέον εἰπεῖν . . ., ἀντὶ τοῦ . .* Nam cum dicit *Δῆμος* in Equ. vss. 1175—1176:

οἴει γὰρ οἰκεῖσθ' ἂν ἔτι τήνδε τὴν πόλιν,
εἰ μὴ φανερῶς ἡμῶν ὑπερεῖχε τὴν χ . . . .

exspectamus certe *χεῖρα;* audimus autem *χύτραν*, quod ad ea,

quae dixerat isiciarius, non male quadrat. Nihilominus decipiebamur. Recte igitur scholiastae ad priorem versum 1174 haec annotaverunt: *ὑπερέχει σου· Ἀντὶ τοῦ ὑπερμαχεῖ καὶ ὑπερασπίζει σου. ἀντὶ δὲ τοῦ εἰπεῖν περικεφαλαίαν, εἶπε χύτραν. τὴν χύτραν· Ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν χεῖρα.*

Qua vero in re poëta nos fefellerit, non difficile est intellectu. Etenim si dixisset *ὑπερεῖχε τὴν χεῖρα*, significare voluisset opem et auxilium Atheniensibus tulisse Palladem, frequenti videlicet translatione usus. Cum dicit *ὑπερεῖχε τὴν χύτραν*, numquid praeter Palladis tutelam significat? At non solent ollae ad auxilium transferri! Id ipsum est, in quo acquiescas! Verbum enim verbo mutabatur; eandem rem nova sub specie animo informabamus, ac si quis eandem picturam novis coloribus, inducat, illustret, refingat. Caput autem totius rei permansit idem. Quod si ita est, in verbis erat hic iocus omnis, non in rebus.

Adde exemplum e Ranis. Servus illic (in vss. 754—757) servum alloquitur his fere verbis:

ὦ Φοῖβ' Ἄπολλον, ἔμβαλέ μοι τὴν δεξιάν,
καὶ δὸς κύσαι καὐτὸς κύσον, καί μοι φράσον,
πρὸς Διός, ὃς ἡμῖν ἐστιν ὁ μ ο μ α σ τ ι γ ί α ς,
τίς οὗτος οὔνδον ἐστὶ θόρυβος κτλ..

Quid scholiasta? *ὁμομαστιγίας*, inquit, *ὥσπερ φαμὲν ἑταιρεῖος Ζεὺς καὶ ὁμόγνιος καὶ ἱκέσιος καὶ ξένιος, καὶ ὅσα τοιαῦτα, οὕτω καὶ δούλιος, ὁ τῶν δούλων ἔφορος. ἐπεὶ δὲ οἱ δοῦλοι μάστιξιν ὑπόκεινται καὶ πληγαῖς, διὰ τοῦτο ὁμομαστιγίας εἶπεν, ἢ βουλόμενος εἰπεῖν, ὃς ἡμᾶς νῦν εἰσήγαγε, π α ί ζ ω ν π α ρ' ὑ π ό ν ο ι α ν εἶπεν ὁμομαστιγίας.* Assentitur priori explicationi scholiasta alter: *Ἄλλως. ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν ὁμόγνιος (ὡς ἔμπροσθεν ἢ ὁμάδελφος) εἶπεν ὁμομαστιγίας, οἷον ὁμόδουλος.*

Xanthias, Dionysi puer, cum Aeaco, qui etiam servi personam agit, colloquens, Iovem obtestatus erat, quippe qui semet ipsum et consortem illum inferorum ianitorem tueretur. Exspectabamus igitur adiectivum e radice *ὁμο* compositum et altero vocabulo, quod ad vernas pertineret. Qua in re poëta festive nos decepit. Verberonem enim dixit, non servum. Quod si nomen praetulisset honestius, evanuisset totius ille versiculi lepos.

Non secus etiam Megarensis ille in Acharnensium fabula id, quod iamiam erat dicturus, repente commutavit. Filiolas enim suas pro porcellis venditurus haec ille interrogat in vss. 733—734:

ἀκούετον δή, ποτέχετ' ἐμὶν τὰν γαστέρα·
πότερα πεπρᾶσθαι χρῄδδετ', ἢ πεινῆν κακῶς;

Non illepide ille quidem; undique enim rumores famis apud Megarenses exortae percrebruerant; nihilominus tamen cum dixisset *ἀκούετον δή, ποτέχετ' ἐμὶν* fore putabamus, ut *τὸν νοῦν* adderet. Animos enim sibi advertere puellas iubet, etiamsi ventres dicit; cum vero is, qui esurit, non oculos modo, sed mentem omnesque cogitationes ad ea advertat, quae comesurus sibi videatur eaque animo velut amplectatur et praegustet, ventrem, quippe quem solum curarent, pro animo, qui totus in illis esset, dicere ausus est non temere poëta. In verbis igitur haec iocabatur Aristophanes, eodem modo quo etiam in Ran. vs. 1005, ubi *τραγικὸν λῆρον παρ' ὑπόνοιαν* dicit *ἀντὶ τοῦ τέχνην*, in Pluti vs. 324 (*ἀσπάζομαι*) et multis praeterea in locis, quos longum est enumerare. Sufficiunt enim ea, quae de tribus eiusdem generis exemplis disserebamus. Quorum vim comicam, si qui in rebus positam esse putent, non in verbis, quod mutato repente praeter opinionem vocabulo novi aliquid simul et alieni a priore sententia in animum inducamus, viderint illi, ne, quae supra diximus, quaecunque iocemur aut propter ipsa verba rideri aut propter res eave, quae cogitemus, corruant universa et velut e manibus elabantur. Videant porro, quantopere ea, quae ad hoc genus referebamus, differant ab illis, quae, quamquam etiam dicuntur contra exspectationem, in rebus sunt tamen et integras sententias funditus pervertunt. Ac Pluti quidem describam versiculos 26—27, ut vel uno exemplo facetiarum, quae sunt praeter opinionem, discrimen tantum illustrem. Dicit illic Chremes:

ἀλλ' οὔ τι κρύψω· τῶν ἐμῶν γαρ οἰκετῶν
πιστότατον ἡγοῦμαί σε καὶ κλεπτίστατον.

ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν, dicit scholiasta Cod. Ven., *ἡγοῦμαί σε εὐνούστατον καὶ φρονιμώτατον, τὸ παρ' ὑπόνοιαν ἐπήγαγε κωμικῶς παίζων.* Itaque, nisi *κλεπτίστατος* vaferrimus quisque dici poterat — fuerunt enim, qui haec verba ita intellegerent — contrarium pro eo, quod exspectabamus, poëta vocabulum posuit. Tantum vero abest, ut commutatis verbis sententia eadem similisve remanserit, ut una haec vox *κλεπτίστατον* huius versus vim omnem refringat. Non enim esse potest fidelissimus servus, qui est furacissimus. Quod quoniam est ita, ipsa res non mutata est leviter, sed in contrarium conversa. Unde fit, ut non unum illud vocabulum mutatum moveat risum, sed rebus contineatur hic iocus omnis.

(4.) Reliquum est, ut de iis vocabulis dicamus, quibus scholiastae ambigua proprie significant. Quae quidem vocabula ita in duo genera apte videntur discerni posse, ut alteri ea ascribantur, quae ad unam vocem ambiguam duplicique sensu adhibitam pertineant, quem verbi lusum iure possis dicere — alteri ea, per quae compluribus iisque aut similibus aut ambiguis vocabulis quoquomodo ridicule se excipientibus iocularem effici sententiam doceamur. Atque hic verus est et genuinus verborum lusus.

Et altera quidem illa, quae ad solam in loquendo ambiguitatem rectius referuntur, haec fere sunt:

ἀμφιβόλως, κεκαλυμμένως, κακεμφάτως λέγει, εὐφημισμός ἐστι, διλημμάτους τίθησι λέξεις, τοῖς μέσοις χρῆται ῥήμασι, περιεσταλμένως βούλεται λέγειν, εἰς τὸ αἰσχρὸν ἀποτείνει, ἐχρήσατο παρὰ τὸ . ., ὡς πρὸς . ., ὡς εἰ ἔλεγεν . ., ἐπεὶ ἔγκειται . ., δύο ἐννοίας ἔχει, διττῶς νοητέον, βούλεται εἰπεῖν, κομψῶς τῇ ἀμφιβολίᾳ χρῆται.

Quibus quid velint scholiastae, ut paucis ostendamus, e perenni et inexhausto harum facetiarum fonte, de quibus infra dicetur uberius, iam in hunc locum, quae sunt huius generis, nonnulla derivabimus.

Amphitheus ille ad Dicaeopolin accurrit, cui, quid adeo festinaret interrogatus, haec respondit in Ach. vss. 178—185:

. . . . ἐγὼ μὲν δεῦρό σοι σπονδὰς φέρων
ἔσπευδον. οἱ δ' ὤσφροντο πρεσβῦταί τινες
Ἀχαρνικοί, στιπτοὶ γέροντες, πρίνινοι
ἀτεράμονες, Μαραθωνομάχαι, σφενδάμνινοι.
ἔπειτ' ἀνέκραγον πάντες. ὦ μιαρώτατε,
σπονδὰς φέρεις τῶν ἀμπέλων τετμημένων; 183
κἀς τοὺς τρίβωνας ξυνελέγοντο τῶν λίθων.
ἐγὼ δ' ἔφευγον. οἱ δ' ἐδίωκον κἀβόων,

vini scilicet utrem insectantes, quem Amphitheus tamquam indutiarum, quas fecisset cum Lacedaemoniis, signum secum ferebat. Quae omnia intelleguntur ex uno vocabulo *σπονδὰς* in vss. 178 et 183; *σπονδή* enim, ut bene vidit Alb. Muellerus, libationem, *σπονδαί* indutias significant. Duplex est igitur huius vocis sensus.

Alterum ambiguae vocis afferam e Nubium parabasi exemplum. In Eupolideis illis versibus a 518 usque ad 562, quibus Aristophanes spectantis populi gratiam sibi conciliare studet, post-

quam multa enumeravit, quibus reliquis comoediarum poëtis excelleret, κἀγὼ μὲν inquit, τοιοῦτος ἀνὴρ ὢν οὐ κομῶ (in vs. 545). Dixit igitur, quamvis praestaret ceteris arte, superbiam tamen longe a se abesse. Superbum enim putamus esse, quemcunque κομᾶν dicimus. Qua in voce cum insit praeterea alia eaque propria crines promittendi notio, salsum fit repente, quod κομᾶν αὐτόν negavit. Calvum enim iam tum temporis fuisse Aristophanem inter omnes constat.

Addam hisce unum versum Pacis, quae inscribitur, comoediae 1286.

Est illic locus, quo inde a vs. 1270 Homerus exagitatur, leporis plenus. Atque inter alia, quae pueri quidam in convivio recitant, haec quoque habentur:

Θωρήσσοντὸ ἄρ' ἔπειτα πεπαυμένοι,

cum (epulari) desiissent, armabantur. Trygaeus vero, qui canentes audiebat, non ἄσμενοι οἶμαι illis respondisset, nisi θωρήσσοντο illud longe alio sensu accepisset; θωρήσσεσθαι enim est etiam potare et ebrium fieri. Sic igitur ille intellexit versum 1286: Cum epulari desiissent, ad pocula res devenit.

Tria igitur expedivimus singularum vocum ambiguarum exempla. Quae voces cum ex omnium usu et fere natura sua sint ambiguae, ita ut σπονδαί semper aut libationes aut indutiae dicantur, κομᾶν crines promittere simulque superbum esse significet, θωρήσσεσθαι aut de armis capiendis usurpetur aut sensu ad comissationem translato, non minus fere ipsius linguae indolem, quae has facetias poëtae subministraverit, quam Aristophanis sollertiam celebrabimus, qui sparsa manu larga uberrimo ingenio recepit, fovit, excoluit. Verum magis etiam poëtae artem admiramur, ubi, quae natura carent ambiguitate, repente alio, ac putaveris, sensu accipere cogeris.

Veluti si quis Iovem omnia intuentem, nihil non videntem imprecetur:

ὦ Ζεῦ διόπτα καὶ κατόπτα πανταχῇ

nihil est omnino, quod non sit graviter dictum, nihil profecto, quo non possit sive Philoctetes, seu mavis Oedipus deorum hominumque patris opem invocare. Tu vero Acharnenses evolve et recita versus inde a 430:

Εὐριπίδης· οἶδ' ἄνδρα, Μυσὸν Τήλεφον. ΔΙΚ. ναὶ Τήλεφον.
τούτου δὸς ἀντιβολῶ σέ μοι τὰ σπάργανα.
Εὐριπίδης· ὦ παῖ, δὸς αὐτῷ Τηλέφου ῥακώματα
κεῖται δ' ἄνωθεν τῶν Θυεστείων ῥακῶν,
μεταξὺ τῶν Ἰνοῦς. ἰδοὺ ταυτὶ λαβέ.
Δικαιόπολις· ὦ Ζεῦ διόπτα καὶ κατόπτα πανταχῇ,
ἐνσκευάσασθαί μ' οἷον ἀθλιώτατον κτλ.

Quibus quid potest esse magis ridiculum? Etenim cum dicit ὦ Ζεῦ διόπτα καὶ κατόπτα πανταχῇ — quae hoc loco precantis esse A. Muellerus iure negavit — laceram vestem Dicaepolis extollit et foramina eius fissurasque miratur, per quae coelum possit aspicere. Quam ob rem nec scholiastae perperam addiderunt: ταῦτά φησιν, ἐπεὶ πολύτρητα ἦν τὰ ῥάκια, δι' ὧν ἦν πάντα ἐπισκοπῆσαι et dilectus mihi praeter omnes Berglerus duplicem huius versus sententiam sic nostro sermone reddidit venustissime: „O Iupiter, qui omnia perspicis et specularis, quam perspicuae sunt hae vestes et perforatae.“ Insunt vero haec omnia in ipsis verbis διόπτης et κατόπτης. Nam si hoc loco Iupiter eam bb causam a Dicaeopolide διόπτης dicitur, quod vestes etiam, quas sursum tollat, possit perspicere, laceras illas extendi necessario colligitur. Nec tamen natura quodammodo hae voces ambiguae sunt — immo certas dixeris minimeque dubias — sed causa, propter quam Iupiter διόπτης καὶ κατόπτης πανταχῇ dici possit, opipare decipiebamur; ridicula enim erat praeter opinionem, non seria, ut exspectabamus. Hinc igitur hoc loco non duarum illarum vocum, sed totius versus pendebat ambiguitas.

(5.) Ab hoc facetiarum genere, quod totum versatur in ambiguitate, longe alienus est genuinus ille verborum lusus. Qui quamquam non caret illa, sed paene abundat, tamen sociatis quibusdam virtutibus tot, quot ad ridendum illecebris, priori illi lusus generi facile praestat.

Etenim si quis dicat ὑπ' ἀνδρῶν πονηρῶν διώκομαι, aut fugam hostiliaque innuit aut postulari sese ab aliquo et in ius rapi significat. Quod etiamsi videatur ambiguum, si haec sola verba spectes, reliquis certe tamen, quaecunque sunt, adimitur sermoni et discutitur passim omnis ambiguitas. Nam alterutrum, qui ita loquebatur, voluit intellegi, non utrumque. Unde fit, ut is, qui graeco sermoni sit assuetus, unum modo verborum illorum sensum esse sciat, de

altero, qui praeter hunc in iis possit inesse, ne cogitet quidem nisi coactus. Cogimur autem, ut duplicem triplicemve vim vocabula quaedam habere sentiamus tum, cum verba alia ad alias ambiguae vocis notiones spectare intellegimus. Quod ut defendam exemplo, iis Aristophanis versibus utar, in quibus ipsum illud *διώκεσθαι* habetur. Ad Acharnenses igitur revertamur, cuius fabulae antistropha quaedam sic incipit vs. 692:

692 *ταῦτα πῶς εἰκότα, γέροντ' ἀπολέσαι πολιὸν ἄνδρα περὶ κλεψύδραν,*
695 *πολλὰ δὴ ξυμπονήσαντα, καὶ θερμὸν ἀπομορξάμενον ἀνδρικὸν ἱδρῶτα δὴ καὶ πολύν,*
696 *ἄνδρ' ἀγαθὸν ὄντα Μαραθῶνι περὶ τὴν πόλιν;*
698 *εἶτα Μαραθῶνι μὲν ὅτ' ἦμεν, ἐδιώκομεν·*
700 *νῦν δ' ὑπ' ἀνδρῶν πονηρῶν σφόδρα διωκόμεθα κᾆτα προς ἁλισκόμεθα.*

Numquis est igitur, qui in versu 698 duplicem sensum inesse contendat, quod *διώκομεν*, ut diximus ante, in ambiguis vocibus annumeretur? Nemo certe quisquam. Num forte versus 700 duplici modo est accipiendus, an omnino potest de iudiciis non intellegi? Ne id quidem. Quid igitur est, quo efficiatur, ut versus 698 et 700 non opponantur modo sibi, sed salse quodammodo et acute mutatas senum illorum vitae conditiones indicent? Non est mihi crede forma passiva, quae activae *ἐδιώκομεν* opponitur, non praesens tempus, quod praeterito, non voculis *ὅτε* et *νῦν* tanta vis continetur — sed unum illud verbum duplici sensu adhibitum non modo Acharnensium quandam animorum acerbitatem prodit, sed ingeniorum etiam testatur acumina. At ubi est ambiguitas illa, quam his quoque lusibus subesse dicebamus? In neutro versu, si acu rem tangere velis et tamen mehercule in utroque! Nemo enim est, qui *διωκόμεθα* illud aut legat aut percipiat auribus, quin diversae illius praecedentis verbi *ἐδιώκομεν* notionis meminerit. Quod cum fit — haerent enim aliquantillum, quae mente comprehendebamus — hunc eundem eiusdem verbi sensum ad versum posteriorem non pertinere praeter opinionem repente intellegimus, alterum in verbo *διωκόμεθα* turpicula quadam fraude decepti anquirimus, suspicamur, arripimus, iamiam scimus inesse. Quae etsi fiunt celeriter nobisque aut insciis aut etiam invitis, fiunt tamen et veluti titillando mentem nostram pertractant, quoad erumpat risus. Qui quo vehementius gignitur et ocius, eo celerius omnia illa,

quae modo dixi, fieri necesse erat. Unde facile explicatur, cur, si vere ridicula dixeris, subitus risus dicendi celeritatem aequet, arcessita tardus subsequatur.

Quae etiamsi plana videantur omnia, tamen quo magis sint in aperto, altero etiam exemplo illustrabo. Patebat enim in Acharnensium versibus illis unius verbi ambiguitas. Quid, si deesse videatur illa, ut in Equ. vs. 55? Quem ut reddam clariorem, paulo altius rem repetam.

Ac duos illos, qui servorum partes agentes res suas adversas invicem commiserantur, Niciam constat exagitavisse et Demosthenem. Quorum alter dirae servitutis consortem interrogat, nonne spectatoribus miserum rerum suarum statum exponere placeat:

βούλει τὸ πρᾶγμα τοῖς θεαταῖσιν φράσω; vs. 36.

Tum sic fere Demosthenes rem explicare orditur:

Esse sibi herum, Populum quendam (*Δῆμον Πυκνίτην*), morosum senem, qui recens tertium servum, eumque vaferrimum, coriarium Paphlagonem emisset; quem malis artibus herum circumvenire, adulari, omnibus modis decipere haec dictitantem:

vs. 50. *ὦ Δῆμε, λοῦσαι πρῶτον ἐκδικάσας μίαν,*
ἐνθοῦ, ῥόφησον, ἔντραγ', ἔχε τριώβολον.
βούλει παραθῶ σοι δόρπον;

Tum, quidquid in manus incidisset, esti ab alio paratum, surripere Paphlagonem et hero ipsum in mensa anteponere, velut paucis diebus ante Laconicam illam pultem, quam sua manu ipse Demosthenes in pelvi pinsuisset.

At quam ille pultem dicit? cur Laconicam praetulit Atheniensi? cur tandem in pelvi se pinsuisse illam asseverat?

Tu vero ipsum audito Demosthenem, qui sic pergit

vs. 52. . . . . *εἶτ' ἀναρπάσας*
ὅ τι ἂν τις ἡμῶν σκευάσῃ, τῷ δεσπότῃ
Παφλαγὼν κεχάρισται τοῦτο. καὶ πρῴην γ' ἐμοῦ
μᾶζαν μεμαχότος ἐν πυέλῳ Λακωνικήν, (sic enim C. Herm.)
πανουργότατά πως παραδραμὰν ὑφαρπ'σας
αὐτὸς παρέθηκε τὴν ὑπ' ἐμοῦ μεμαγμένην κτλ.

Quam igitur dicit pultem? Numquid pinsuit omnino? Itane vero? Dii meliora! Pugnam dicit se pugnavisse ad Pylum in Laconia; victoriam virtute partam fraude sibi a Cleone ereptam esse conqueritur. Nil praeterea!

Lepide igitur his quoque verbis decipimur. [1]) Nam quae in ipsis vocabulis insunt, repente et contra voluntatem aliter intellegimus atque intellegi debere e repugnantibus fere verborum et sonis et formis collegeramus. Auribus igitur *μᾶζαν μεμαχότος ἐν πυέλῳ*, mente *μάχην μεμαχηκότος ἐν Πύλῳ* percipimus. Neque tamen eo magis *μᾶζα, μάσσειν, πύελος* ambiguae voces dici possunt, quod pugnam ad Pylum commissam in memoriam nobis revocent; nunquam enim *μᾶζα* duplici illo et pultis et proelii sensu usurpari poterat. Immo sola verborum similitudine efficitur, ut audiamus alia, alia cogitemus. Quam ob rem quoniam miscentur et confunduntur similium quidem, non tamen mediorum vocabulorum notiones, ficta quaedam hoc in versu latet ficti cuiusdam verbi ambiguitas, quod medium foret inter *μάσσειν* et *μάχεσθαι*. Nulla enim in forma haec verba conveniunt. Fingere autem cum possimus, quaecunque a vera rerum specie recedunt, tale quoque verbum quoddam duabus e radicibus quamvis alienis fingere et ducere potuimus.

Quibus exemplis cum sat plane mihi videar ostendisse, quam multiplex sit et varium hoc facetiarum genus, quippe quibus multi ioci facile possint adiungi et misceri, qui, si spectes singula, ad aliud quoddam genus queant referri, non est quod scholiastas mireris, qui his in iocis denotandis *παίζει* illo et *παιδιά* et similibus verbis non minus usi sint, quam in reliquis. Inveniuntur vero etiam huius generis ioci, quos explicent distinctius, veluti cum dicunt *παρὰ γράμμα κωμῳδεῖ, ὀνοματοποιεῖ, παρήχηται, παρεγραμμάτισε, παραγραμματισμῷ χρῆται*, quae etiamsi non proprie designent hoc genus, saepe tamen huc spectant. Propria enim huius verborum lusus una reperitur apud eos significatio: *ἐπίτηδες συνήγαγε τὰς δύο λέξεις*.

Ac nunc quidem, quoniam quid sentirem ego his de rebus, porro quam scholiastae in denotandis Aristophanis iocis praestitissent operam exposui, id omnino mihi est agendum, ut cum philosophorum, qui de rebus comicis scripserunt, principibus in gratiam redeam. Quorum auctoritatem cum mecum reputarem non inde iri amplificatum, si iustis ac merito debitis illorum laudibus accessisset cumulus commendationis meae, neque illustria tot praestan-

---

[1]) Aristot. Rh. III. 11. *ἔστι δὲ καὶ τὰ ἀστεῖα — μεταστρέφει ὄνομα.*

tissimorum doctissimorumque virorum nomina enumerari, nec gravissimas sententias iudicio meo comprobari cuiusquam interesse putabam. Multo vero etiam minus, quibus illi, ut nuper demum Evaldus Hecker, [1] adiuvante longo horum studiorum usu operam dederunt enixe, quae explicaverunt definiendo, copiose dicendo ornaverunt, quae acerrimo praediti ingenii acumine in ordinem digesserunt, exemplis instruxerunt, firmaverunt, tutati sunt, confutare posse his paucis mihi videbar. Nec vellem equidem; alienum enim id est a consiliis meis. Sed cum plerosque, qui post Frischlinum Aristophanis comoedias latine ediderunt, ludendi, illudendi, alludendi verba tria promiscue et diversissimis usurpavisse in locis intellexissem, operae pretium duxi, quid id esset, quod in tanti poëtae versiculis multis adeo placeret, paulo accuratius, quantulumcunque possem, pertractare.

Quos iocos solis verbis, non rebus quibuslibet actis effectos, si quis in quinque genera parcius me divisisse putaverit, ne cum illis me comparet, qui muscas non reticulis sed hiante sacco captare conentur, accurate ille, quae M. T. Cicero in altero, qui inscribitur de oratore, libro [2] his de rebus nobis prodiderit, pervestiget. [3] Intelleget enim tum, ne illum quidem, quamvis clarissimum oratorem eundemque philosophum plus sex septemve eorum, qui in verbis essent, iocorum genera potuisse indagare. Ad quae nonnulla illum ascripsisse, quae alio melius referrentur, veluti verba illa relata contrarie, [4] vix attinet dicere. Nam praeterquam quod totum istum de iocis locum tam insigni animi levitate exaravit, ut diversissima haud raro misceret, certe vel solam eam ob causam vestigia eius acrius premere nolebam, quod ambigua illa, ad quae explicanda hoc studium omne contulissem, non modo non a reliquis ridiculi generibus segregavit, sed paene neglecta iacere passus est. [5] Quae ambigua quamquam equidem distinguenda seiungendaque a reliquis ridiculi generibus censebam, non alia tamen atque illi partitione mihi opus erat. Eodem enim modo

[1]) Die Physiologie und Psychologie des Lachens und des Comischen, Berlin, Dümmler 1873.

[2]) Cic. de or. II. 54_{216}—71_{219}, et III. 37 sqq.

[3]) cf. etiam Quintiliani inst. or. VI. 3.

[4]) Cic. de or. II. 65_{263}.

[5]) Cic. de or. II. 62_{253}—66.

quo ille ea, quae in rebus factisve sunt ridicula, a ceteris iocularibus seposui; quae rideremus in verbis, aut narratis quibusdam repraesentatisve rebus deberi aut ipsis denique in verbis inesse significavi.

Quae cum non sine causa ita describerem, ne de omnibus, quaecunque haberentur ridicula, in universum mihi esset disputandum, certe non id me fugiebat nec res ipsas, quae in scena agerentur — nam gestus quoque quoslibet huc refero — nec verba ab histrionibus pronuntiata per sese esse ridicula, sed quidquid videretur ridiculum, propter solas, quae inde in spectantibus audientibusve orirentur cogitationes rideri memineram. Non igitur — hoc enim utar exemplo — si quis vapularet, ipsa verbera ridicula videri omnino, nisi in nobis aut vapulantem aut verberantem considerantibus cogitationes quaedam gignerentur, quae ad ridendum nos impellerent. Eam ipsam ob causam ridere alios arbitrabar, alios serios spectare acta iocosve audire; inde etiam intellegi, cur alii statim risum tollerent, sero alii, nonnullis saepe diebus post, quam aut rem vidissent aut verbum auribus modo non mente percepissent; quam ob rem non esse dicendum, si quis bene animum adverteret, de re factove aut dicto ridiculo, sed id modo recte dici posse, gigni risum nostrum voluptatemque denique spectantium omnem aut per res factave, aut per verba.

Nihilo vero secius, quoniam id per loquendi usum licebat, ipsa verba nonnunquam ridicula nominabam, non ea quidem, quibus fictae quaedam narrataeque res continerentur, sed ea, quae propter formam aut mutatam aut novatam, quae propter insolitum usum inopinatamve, quam occuparent, sedem, denique quae propter ambiguitatem quandam, quae lateret, aut simplicem aut compositam, variam, multiplicem vel invitis conciliarent cum hilaritate risum.

Ac de his ego, quae in verbis solis essent sitae, ridendi causis inquirebam et eiusmodi Aristophanis verba extrinsecus magis, quam secundum cogitationum, quae inde exorirentur risumque moverent, naturam in haec quinque genera distribui. Quae divisio etiamsi cui videatur angustior, cum quae quina sint raro perfecta absolutaque esse putentur, sextum tamen inveniri nequit.

Utinam his effecerim, ne iure suo philosophorum gens mihi succenseat! Utinam illi sibi persuadeant me non sua mihi munera

2 *

arrogavisse, sed ei rei uni studuisse, ut, quem ego verborum lusum dicerem velut e rudi incompositaque mole — adeo enim plerique omnia miscent, turbant, diversissima eodem nomine complectuntur — enucleate segregarem.

Etenim simile aliquid in Aristophanicis literis accidisse puto atque in Demosthenicis. Sicuti omnes uno ore Olynthiacas eius orationes summis laudibus extollunt, quando et quo ordine habitae sint, dissentiunt, quasi digna sit admiratione oratio, quam ad quaelibet tempora referre et velut accomodare liceat, ita etiam Aristophanem viri docti summis quibusdam paene dixi blanditiis assectantur, celebrant lepidissimam eius comoediarum venustatem, in rebus vocibusque fingendis effrenatam eius licentiam admirantur, stupent inaequabilem audaciam, incredibilem leporem, inauditas facetias praedicant catervatim — qui sint ioci illi, et quales, pauci curant; „ludit nimirum", inquiunt, „illudit, alludit", tacent reliqua.

Inde opinor factum est, ut alii ambiguas voces dicerent, quae nunquam fuissent, alii — prout quemque libido traxit aut caecus Aristophanis amor — verborum lusus statuerent, ubi ne sana quidem, nedum iocosa verborum esset coniunctio. Quid quod inveniuntur inter eos lusus, quos dormitantes scholiastae praeterierunt sat multos, quorum usque ad hanc aetatem a viris doctis nulla sit facta mentio! Quod utrum consulto an fortuito evenerit, quamquam parum saepe constat, tamen, quoniam praeter illos, de quibus mihi videtur disputandum, vel maxime perspicui verborum lusus nota aliqua non indigni sunt habiti, illos ego, quotquot invenisse mihi videor, diligenter perscribam. Antea vero ad reliquos, quippe de quibus iam ab aliis quoquomodo actum sit, constituto ordine exponendos accedam.

Quibus in rebus summas latere difficultates, quis est, qui me putet ignorare? Namque omne Aristophanis studium incredibili labore impeditur et hoc praesertim quaestionum genus innumeris quibusdam veluti scopulis, ad quos adhaereas, abundat, quippe in quo plura multis e privo scriptoris arbitrio pendere, quam certis quibusdam argumentis evinci posse videantur. Tantum vero abest, ut his difficultatibus, quas F. V. Fritzschio, summo his in literis viro, nemo delineavit aut doctius aut elegantius, [1]

[1] in praef. ad Thesmophoriazusas. (pag. X. sqq.)

ab incepto meo avertar, ut eas ipsas praesidio mihi fore putem, si quid, ut aiunt non inficete, incomptius quam verius disputavero. Facile enim, si quid deliquero,. a VV. DD. veniam impetrabo.

II.

Iamiam igitur ad eos Aristophanis iocos accedamus, qui simplici illa unius vocis ambiguitate explicantur. Ac praestantissimi quidem huius generis ioci ii sunt, in quibus unum idemque vocabulum duplici sensu adhibitum est. Quae sunt in Acharnensium vss. 178 σπονδάς, 435 ὦ Ζεῦ διόπτα καὶ κατόπτα, 592 εὔοπλος, 641 λιπαράς, 759 πολυτίματος, 801 ἐρεβίνθους, in Equitum vss. 124 πολλῷ ἐχρῆτο τῷ ποτηρίῳ, 361 λάβρακας καταφαγὼν Μιλησίους κλονήσεις, 469 ἐπὶ τοῖς δεδεμένοις χαλκεύεται, 815 ἀριστώσῃ, 1304 ὀξίνην, in Nubium vss. 260 παιπάλη, 479 μηχανάς, 545 οὐ κομῶ, 639 περὶ τῶν μέτρων, 1057 ἀγορητής, 1496 διαλεπτολογοῦμαι, 1507 ἕδραν, in Vesparum vss. 189 κλητῆρος, 191 περὶ ὄνου σκιᾶς, 194 ἄριστον, 392 παρὰ τὸν κλάοντα καθῆσθαι (I. Richteri proleg. ad Vesp. p. 141), 573 χοιριδίοις, 680 Εὐχαρίδου, 918 θερμός, 961 ἐνέγραφ' ἡμῖν τὸν λόγον, 1310 κλητῆρι, 1343 σχοινίου, 1356 ὑίδιον, 1365 σοροῦ, 1489 σφόνδυλος, 1513 ὀρχίλων, 1532 τριόρχαις, in Pacis vss. 42 καταιβάτου, 48 σπατίλην, 142 πηδάλιον, 143—145 κάνθαρος, 369 ἐπιτέτριψαι, 678 ἀποβολιμαῖος, 713 κυκεῶνα βληχωνίαν, 716 ῥοφήσεις ζωμόν, 855 λείχειν, 874 ἐπαίομεν, 879 εἰς Ἴσθμια, 885 τὸν ζωμόν, 890 ἀνάρρυσιν, 894—904 ἀγῶνα κτλ., 1136 – 1137 κάνθρακίζων κτλ., 1271 ὁπλοτέρους, 1278 ὀμφαλοέσσας, 1284 ἐκόρεσθεν, 1286 θωρήσσοντ', 1346 συκολογοῦντες, 1350 σῦκον, in Avium vss. 167 τοὺς πετομένους, 278 λόφον κατειληφώς, 434 ἀνεπτέρωμαι, 765 πάππους, 1106 γλαῦκες, 1110 ἀετόν, 1214 σύμβολον, 1474 καρδίας, in Lysistratae vss. 17 ἐκύπτασεν, 60 κελήτων, 88 τὸ πεδίον, 158 κύνα δέρειν, 191 λευκὸν ἵππον, 410 et 413 ἡ βάλανος, 417—419 τὸ δακτυλίδιον κτλ., 677 ἱππικώτατον, 736 ἄλοπον, 739 ἀποδείρασ', 772 ὑπέρτερα νέρτερα, 953 ἀποδείρασ', 956 παιδοτροφήσω, 1162 τοὔγκυκλον, 1163 Πύλον, 1169 τὸν Ἐχινοῦντα καὶ τὸν Μηλιᾶ, 1170 τὰ Μεγαρικὰ σκέλη, in Ranarum vss. [27 ὄνος φέρει sic Fritzschius], 48 ἐπεβάτευον, 121 ἀπὸ κάλω καὶ θρανίου, 123 πνιγηράν, 1308 ἐλεσβίαζεν (vide Kockii ed.), 1394 βαρύτατον, 1396 κουφότατον, in Thesmophoriazusarum vss. 232 ψιλός, 263 χαλαρὰ κτλ., 291 πρὸς θάληκον [cf. I. Bekk. ed.], 760

ἐξεκόρησε, in Ecclesiazusarum vss. 253 κεραμεύειν, 364 καταπρώκτων, 707 θρῖα κτλ. Praeter haec vocabula alia quoque inveniuntur, in quibus etiamsi insint notiones binae, tamen aut vera et communis, aut immutata quaedam sententia ita eminet, ut alteri vix locus esse videatur. Ac verus communisque ille, quem dixi, ambiguorum verborum sensus his fere in iocis potior est: in Equ. vss. 570 ἀμυνίας, 615 νικόβουλος, 1379 κρουστικός, in Nub. vss. 491 ὑφαρπάσει, 1162 λυσανίας, in Vesp. vss. 82 φιλόξενον, 230 ὦ Κωμία, in Lys. vs. 1105 τὰν Λυσιστράταν, immutatus vero ille in Ach. vss. 826 φαίνεις ἄνευ θρυαλλίδος, 917 φαίνεις διὰ θρυαλλίδα, 937 φαίνειν λυχνοῦχος, in Equ. vss. 1172 Πυλαίμαχος, 1386 ὀκλαδίαν, in Lys. vs. 996 Πελλάνας, in Thesm. vss. 804—808 Ναυσιμάχη, Χαρμῖνος, Κλεοφῶν, Ἀριστομάχην, Στρατονίκην, Εὐβούλη, praeterea in vs. 919 Σπάρτην mihi quidem magis placebat.

Cur autem, quos priores denotabam huius generis lusus, praestantiores dixerim, facile puto vel ex iis, quae supra exponebam, posse intellegi. Etenim cum horum verborum vis et festivitas in eo omnis sit posita, ut duplici quodam versus sensu decipiamur, eum lusum videri meliorem fere consentaneum est, cuius ambiguitas, postquam simus praeter opinionem decepti, repente patefiat. Namque ea verba, quae etiamsi non careant ambiguitate, ita tamen sunt a poëta usurpata, ut de altero, qui insit in illis, sensu parum cogites, arcessita sunt et stomachum magis quam risum movent. Unde fit, ut, si invenias apud Aristophanem verba, quae, quamvis possint alio loco et vel e quotidiano loquendi usu videri ambigua, tamen eo, quem pertractes, loco, uno tantum eodemque queant accipi sensu, unum illum esse illic sensum vere statuas, ne Aristophanis laudibus officere magis quam consulere videaris. Haec enim Aristophani reverentia debetur, ut pessimum quemque iocum ad inopportunos eius nimisque haud raro studiosos laudatores transferas. De quibus infra dicetur uberius. Hic id agebamus, ut, quae non sine acumine repertae essent a viris doctis, singulas voces ambiguas omnes colligeremus. Quarum dimidiam hucusque partem tamquam unam eamque celeberrimam seriem explicabam. Sunt autem praeter has, quibus unusquisque inter ludendum uti poterat — suapte enim natura sunt ambiguae — multae apud Aristophanem voces, quae, quamquam unam modo habent notionem, velut κάνθων, Κορίνθιοι, δημός, ita tamen adhi-

bentur ab illo, ut subitam similis cuiusdam aut vocis aut radicis memoriam excitent, qua seria alioquin sententia ridicule convertatur (*κάνθαρος, κόρεις, δῆμος*). Valet igitur haec ambiguitas, quae verborum similitudine gignitur, non tantum in eo lusus genere, quod multiplex ac compositum supra nominavi, sed in hoc etiam, de quo nunc inquirimus, simplici unius vocabuli lusu. Quod cum ita sit, modo teneas, quid intersit inter haec lusuum genera, quae supra de Equ. vs. 55 (*μᾶζαν μεμαχότος κτλ.*) disserebam ad simplices has huiusmodi ambiguitates aeque pertinere intelleges. Fictam enim dixi his subesse ficti cuiusdam verbi ambiguitatem. Quod si fit praeter exspectationem, laudabimus, opinor; neque vero eo magis hosce lusus inter eos iocos referemus, quorum vim omnem in decipienda exspectatione sitam esse dicebamus. Ipsa enim verborum similitudine, quae versus ambiguos reddit, hi lusus excellunt; si quid accedit ridiculi, quod ad aliud pertineat iocandi genus, accipitur benigne.

Exempla requiris! En! omnium, quae pertinent ad hoc lusus simplicis genus, copiam tibi faciam. Ipse eligito! Confer igitur Ach. vss. 146 *ἐξ Ἀπατουρίων (ἀπάτη)*, 406 *Χολλείδης (χωλός)*, 604 *ἐν Χαόσι (χάσκω)*, 682 *Ποσειδῶν Ἀσφάλειος (πούς ἀσφαλής)*, 724 *ἐκ Λεπρῶν (λεπροί)*, 808 *Τραγασαῖα (ἔτραγον)*, 853 *Τραγασαίου (τράγος)*, Equ. vss. 59 *βυρσίνην (μυῤῥίνην)*, 78, 79 *ἐν Χαόσι, ἐν Αἰτωλοῖς, ἐν Κλωπιδῶν*[1] (*χάσκω, αἰτῶ, κλέπτω*), 215 *δῆμον προσποιοῦ (δημόν)*, 279 *ζωμεύματα (ὑποζώματα)*, 416 *κυνοκεφάλλῳ (σχινοκεφάλῳ)*, 449 *τῆς Βυρσίνης τῆς Ἱππίου (Μυῤῥίνη)*, 800 *εὖ καὶ μιαρῶς (δικαίως κἀδίκως* Schütz.), 901 *Πυῤῥάνδρου (πυῤῥός)*, 905 *μισθοῦ τρύβλιον (τριώβολον)*, 954 *δημοῦ βοείου (δῆμον)*, 1262 *Κεχηναίων (Ἀθηναίων)*, Nub. vss. 13 *χρεῶν (κόρεων)*, 97 *ἄνθρακες (ἄνθρωποι)*, 166 *διεντερεύματος (διερευνήματος*, an potius *τηρέω? δι-εν-τήρησις*), [623 *Ὑπέρβολον* „alludi videtur h. l. ad Hyperboli nomen.“ Teuffel.], 710 *Κορίνθιοι (κόρεις)*, 730 *ἐξ ἀρνακίδων (ἐξαρνέομαι)*, Vesp. vss. 145 *συκίνου (συκοφάντου)*, 195 *ἡλιαστικοῦ (κανθηλίου)*, 552 *τετραπήχεις (τετραπαχεῖς)*, 572 *ἀρνός (ἄῤῥενος)*, 624 *ἐρήμας τρυγήσειν (ἐρήμην κατηγορεῖν)*,[2] 925 *σκῖρον (σκιῤῥάς)*, 1413 *θαψίνη (θάπτεσθαι)*, Pac. vss.

---

[1]) cf. Suidam sub vocibus *παραγραμματίζων* et *παραγραμματισμός*.

[2]) cf. Riehteri annott. ad h. v. et Rhodewaldi „de usu proverbiorum apud Aristoph.“ p. 12.

82 *κάνθων* (*κάνθαρος*), 123 *κόνδυλον* (*κάνδυλον*), 415 *ἁρματωλίας*, sic enim cum Rav. et schol. I. Bekk., et I. Richterus (*ἁμαρτωλίας*, sic post Bentleium Dindorfius, Bergkius), 440 *ἄνθρακας* (*ἀνθρώπους*, ceterum vide schol. et Fl. Chr. nott.), 643 *διαβάλοι* (*προβάλοι*), 908 *ἐκεχειρίαν* (*ἔχω, χείρ*), 1176 *Κυζικηνικόν* (*χέζω*), Av. 13 *οὐκ τῶν ὀρνέων* (*Ὀρνεῶν*), 199 *ἐν Ὀρνεαῖς* (*ὄρνις*), 489 *ὄρθριον* (*ὄρθιον*), 768 *ἐκπερδικίσαι* (*Περδίκκας*), 1694 *ἐν Φαναῖσι* (*φαίνω, συκοφαντῶ*), 1699 *συκάζουσι* (*συκοφάντης*), Lys. vss. 838 *Κινησίας*, 850 *Μυῤῥίνην*, 852 *Παιονίδης Κινησίας*, 869 *ἔστυκα* (*ἐστύγηκα*), 991 *σκύταλα* (*σκῦτος*), 1184 *ἐν ταῖσι κίσταις* (*κύστις* Fl. Chr.), Thesm. vss. 204 *νυκτερείσια* (*νυκτερήσια*), 935 *ἱστιοῤῥάφος* (*μηχανοῤῥάφος* explic. Berglerus, aliter F. V. Fritzschius), Ran. vss. 85 *μακάρων* (*Μακεδόνων*), 187 *Κερβερίους* (*Κιμμερίους*), 429 *Ἱπποβίνου* (*Ἱππονίκου*), 439 *Διὸς Κόρινθος* (*κόρεις*), Eccl. vss. 916 *Ὀρθαγόραν*, 920 *λάμβδα*.

Atque hi lusus omnes tales sunt, ut utraque vox, et ea, quae legitur, et altera, quam mente informamus auditae similem, ad reliqua eiusdem versus verba bene quadret. Optimae igitur hi sunt lusus notae. Addam, quos aliqua ex parte dicas arcessitos: Ach. vs. 158 *ἀποτεθρίακεν* (*Θρᾴξ*), Nub. vs. 373 *οὐρεῖν* (*Οὔριος*), qui ita languent, ut, etiamsi possis ea cogitare et re vera cogites, quae uncis inclusi, tamen non cogitavisse malis. Sunt etiam plane diversa ab his vocabula, quorum verus sensus tam parum placeat, ut non possis, quin immutato quodammodo sensu accipias, velut in Ach. vs. 234 *Βαλληνάδε* (*βάλλειν*), in Equ. vss. 899 *ἀνὴρ Κόπρειος* (*κόπρος*), 1391 *καταтριακοντουτίσαι* (*κατά, τρίς, ἀκόντιον*), in Vesp. vs. 438 *Δρακοντίδη* (*δρακοντοειδές*) in Av. vs. 476 *Κεφαλῆσιν* (*ἐν κεφαλαῖς*), 1569 *Λαισποδίας* (v. I. Bekk. ed.), quorum numerum sint forsitan, qui ex iis lusibus, quos supra denotabam, iubeant augeri.

Descriptis fideliter his Aristophanis versibus, quibus singulae voces ambiguae continentur, ad alterius generis lusus indicandos me convertam, quos varios, compositos, multiplices appellabam. Neque hercule iniuria! Nam etiamsi collati cum simplicibus illis arte agnoscuntur, qua confecti sunt, ita ut, si intercedat vocabulum ambiguum, id ad alterum necessario referatur, quod etiam possit aut ambiguum aut simile esse, aut, si id requiratur frustra, non una vox, sed tota sententia similis videatur audiri, multis modis tamen inter se differunt.

Dicaeopolis ille — ad exempla enim iterum iterumque confugio — prioris vitae recordatus in Ach. vss. 33—36 haec dicit:

. . . . . . τὸν δ' ἐμὸν δῆμον ποθῶν,
ὅς οὐδεπώποτ' εἶπεν, ἄνθρακας πρίω
οὐκ ὄξος, οὐκ ἔλαιον, οὐδ' ᾔδει πρίω,
ἀλλ' αὐτὸς ἔφερε πάντα χὼ πρίων ἀπῆν.

Habes igitur πρίων ficta illa ab Aristophane πρίω clamitantis significatione, ita ut hoc vocabulum non solum ad eius verbi formas, quae in praecedentibus vss. habeantur, spectet, sed etiam sit ambiguum. A quo loco vss. 699—700 διώκομεν — διωκόμεθα, quos explicavi supra, ea re differunt, quod in διώκω et διώκεσθαι non ficta ab Aristophane ambiguitas, sed ipsa vocabulorum natura duplex sensus inest. Quocum lusu, quoniam ab uno eodemque verbo διώκειν hae formae ducuntur, lusus ille, qui est in Ach. vss. 1022—1026 . . . .

. . . . . Γεω. ἐπετρίβην ἀπολέσας τὼ βόε.
Δικ. πόθεν; Γεω. ἀπὸ Φυλῆς ἔλαβον οἱ Βοιώτιοι.
Δικ. ὢ τρισκακοδαίμων, εἶτα λευκὸν ἀμπέχει;
Γεω. καὶ ταῦτα μέντοι νὴ Δί' ὥπερ μ' ἐτρεφέτην
ἐν πᾶσι βολίτοις κτλ.

non plane est comparandus; nam Βοιώτιοι ab eadem radice tantum ac vocabulum βόε provenit; in βολίτοις autem similitudine tantum adiuti eandem derivationem ridemus, quae vocis significatione mirum in modum augetur.

Saepe etiam eadem eiusdem vocabuli forma reperitur bis quidem repetita, sed mutato sensu, velut in Ach. vss. 1134—1135:

Λαμ. ἐν τῷδε πρὸς τοὺς πολεμίους θωρήξομαι.
Δικ. ἐν τῷδε πρὸς τοὺς συμπότας θωρήξομαι.

Nonnunquam idem vocabulum recurrit, sed altero loco cum praepositione aliqua ita compositum, ut sensus mutetur; cf. Ran. vs. 1026: εἶτα διδάξας Πέρσας μετὰ τοῦτ' ἐπιθυμεῖν ἐξεδίδαξα
νικᾶν ἀεὶ τοὺς ἀντιπάλους κτλ.

Fit etiam, ut, cum idem vocabulum repetitur, id in altero versu proverbii loco sit adhibitum, velut κόραξ in Vesp. vss. 49—51:

ἄνθρωπος ὢν εἶτ' ἐγένετ' ἐξαίφνης κόραξ·
οὔκουν ἐναργὲς τοῦτο συμβαλεῖν, ὅτι
ἀρθεὶς ἀφ' ἡμῶν ἐς κόρακας οἰχήσεται;

Persaepe autem id vocabulum, quod aut ambiguo opponitur, aut alio modo ad id refertur, plane est dissimile, ita ut verborum lusus solo sensu iuvetur forma vocabulorum prorsus neglecta. Cuius rei exemplo nobis erit Ach. versus 46:

Ἀμφ. ἐγώ. Κηρ. τίς ὤν; Ἀμφ. Ἀμφίθεος. Κηρ. οὐκ ἄνθρωπος; Ἀμφ. οὔ.

Atque huius generis lusus, quos septem his exemplis satis puto explicavisse, hi sunt: in Ach. vss. 13—14 *ἐπὶ μόσχῳ* — *Βοιώτιον* (sic enim cum Rav. I. Bekkerus.), 34—36 *πρίω* — *πρίων*, 46 *Ἀμφίθεος* — *ἄνθρωπος*, 699—700 *ἐδιώκομεν* — *διωκόμεθα*, 767—769 *χοῖρος* — *χοῖρος*, 795—796 *χοίρων* — *ὄδελον ἀμπεπαρμένον*, 864—866 *σφῆκες* — *Χαιριδεῖς βομβαύλιοι*, 1022—1026 *βόε* — *βολίτοις*, 1132—1133 *θώρακα πολεμιστήριον* — *θώρακα τὸν χόα*, 1134—1135 *θωρήξομαι* — *θωρήξομαι*, 1158—1159 *πάραλος* — *ὀκέλλοι*, 1210—1211 *ξυμβολῆς* — *ξυμβολὰς*, 1212—1213 *Παιάν* — *Παιώνια*, in Equ. vss. 24—29 *δεφόμενος* — *δέρμα δεφομένων*, 1003—1004 *Βάκις* — *Γλάνις*, in Nub. vss. 53—55 *ἐσπάθα* — *σπαθᾷς*, 212—213 *παρατέταται* — *παρετάθη*, 651—653 *δάκτυλον* — *δακτύλου*, in Vesp. vss. 17—23 *ἀσπίδα* — *ἀσπίδα*, 29—30 *σκάφους* — *τρόπιν*, 49—51 *κόραξ* — *ἐς κόρακας*, 145—151 *καπνός* — *Καπνίου*, 501—502 *κελητίσαι* — *Ἱππίου*, 616—618 *ὄνον* — *οὗτος* — *βρωμησάμενος*, 780—783 *μασώμενος* — *ἀναμασώμενοι*, 844—846 *Ἑστίας* — *ἀφ' Ἑστίας*, 1147—1148 *ἐρίων* — *ἐριώλην*, 1187—1188 *ξυνεθεώρεις* — *τεθεώρηκα*, 1194—1195 *θώρακ' ἄριστον* — *θώρακ' ἔχων*, 1206—1207 *δρομέα* — *εἷλον διώκων*, 1273—1274 *Πενέσταισι* — *πενέστης*, 1297—1298 *παῖδα* — *πληγάς*, in Av. vss. 149—151 *Λέπρεον* — *Λέπρεον*, 152—153 *Ὀπούντιος* — *Ὀπούντιος*, 290—293 *λόφον* — *λόφων*, 604 *πράττωσι* — *πράττων*, 814—815 *Σπάρτην* — *Σπάρτην*, 913—915 *ὀτρηροί* — *ὀτρηρὸν*, 1249—1252 *πορφυρίωνας* — *Πορφυρίων*, 1437—1445 *πτερώσειας* — *ἀναπτεροῦνται* — *ἀνεπτέρωκεν* — *ἀνεπτερῶσθαι* — *πεποτῆσθαι*, in Lys. vss. 27—28 *ἐρριπτασμένον* — *τοὐρριπτασμένον*, 90—91 *χαῖα* — *χαῖα*, 937 *ἔπαιρε* — *ἐπῆρται*, in Thesm. vss. 58—60 *θριγκοῖς θριγκοῦ*, 199—201 *παθήμασιν* — *παθήμασιν*, 248—249 *σπογγιεῖ* — *πλυνεῖ*, 842—845 *τόκον* — *τόκον*, in Ran. vss. 1026 *διδάξας* — *ἐξεδίδαξα*, 1267—1268 *κόπον* — *κόπω*, 1382—1388 *διαπτάσθαι* — *ἐπτερωμένον*, in Eccl. vss. 38—39 *Σαλαμίνιος* — *ἤλαυνε*, 256—257 *ὑποκρούσωσι* — *προςκινήσομαι* — *κρουμάτων*, in Pluti vss. 1132—1133 *κύλικος* — *ἐπιπιών*, 1205—1207 *γραῦς* — *γραός*.

Atque in his quidem verborum lusibus non est, in quo non reperiatur vocabulum vere ambiguum. In reliquis autem, quos etiam denotabo, lusibus ambiguitas illa similitudine quadam continetur, velut in Equ. vss. 210—211 *αἴ κε μὴ θαλφθῇ λόγοις. Ἀλλ. τὰ μὲν λόγι' αἰκάλλει με . . . . .*, quo in versu *αἰκάλλει* ita a poëta dicitur, ac si ab *αἴ κε* ducatur; vocibus igitur *αἴ κε* efficitur, ut verbum *αἰκάλλειν*, etiamsi non sit ambignum, tamen ambiguum videatur. Ac tales plerique sunt inter eos lusus, quos addam infra.

Sunt vero etiam, qui sola vocabulorum similitudine videantur risum movere, ut celeberrimum illud *χέσαιτο γὰρ εἰ μαχέσαιτο* (in Equ. vs. 1057). Fit denique, ut similia illa vocabula cogitentur tantum et videantur audiri, quamquam non audiuntur. Quae cum supra pluribus explicaverim (cf. quae de Equ. v. 55 *μᾶζαν μεμαχότος κτλ.* disputavi), nihil impedit, quominus omnes lusus, qui ex tribus his exemplis intellegantur, promiscue perscribam. Cf. igitur in Ach. vss. 82—83 *ὀρῶν — ξυνήγαγεν*, 270 *μαχῶν καὶ Λαμάχων*, 606 *κἀν Γέλᾳ κἀν Καταγέλᾳ*, 994—999 *τρία προςβαλεῖν — ὄρχον ἐλάσαι — συκίδων — ὄρχον — ἀλείφεσθαι* (*σῦκον, ὄρχεις*), 1071 *μάχαι καὶ Λάμαχοι*, 1122 1123 *κιλλίβαντας — κριβανίτας*, 1219—1221 *σκοτοδινιῶ — σκοτοβινιῶ*, in Equ. vss. 55 *μᾶζαν μεμαχότος ἐν πυέλῳ*, 210—211 *αἴκε — αἰκάλλει*, 455—456 *κόλοις — κολᾷ*, 828—829 *χαιρήσεις — αἱρήσεις*, 919 *παφλάζει* (*Παφλαγών*), 989—996 *Δωριστὶ — δωροδοκητί*, 1057 *χέσαιτο — μαχέσαιτο*, 1058—1060 *Πύλον — πυέλους*, 1081—1083 *Κυλλήνην — κυλλῇ*, 1182 *ἐλατῆρος — ἐλαύνωμεν*, 1184 *ἐντέροις — ἐντερόνειαν*, 1188—1189 *τρία — Τριτογενὴς — ἐνετριτώνισεν*, in Nub. vss. 23—24 *κοππατίαν — ἐξεκόπην*, 439 (*Στρεψιάδης*) *στρεψοδικῆσαι*, 1273 *ἀπ' ὄνου* (*ἀπὸ νοῦ*), 1407 *τέθριππον — ἐπιτριβῆναι*, 1455 *στρέψας* (*Στρεψιάδης*), in Vesp. vss. 40—41 *ἵστη δημόν — δῆμον διιστάναι*, 42—45 *Θέωρος — κόρακος — Θέωλος — κόλακος*, 98—99 *Δῆμον καλόν — κημὸς καλός*, 184-186 *Οὖτις — οὔτι*, 352—353 *ὀπῆς — ὀπίαν*, 368 *Δίκτυννα — δικτύου*, 772 *εἵλη — ἡλιάσει — ἥλιον*, 811-814 *πῦρ — πυρέττω*, 956—957 *τυρὸν — θύραν*, in Pac. vss. 51—53 *ἀνδρίοισι — ἀνδράσι — ἀνδράσι — ὑπερηνορέουσιν*, 59 *κόρημα — ἐκκόρει* (*κόρις*), 171 *Χίων* (*χέζω, Χῖος ἦν ὁ ἀποπατῶν* schol.), 192—193 *κρέας — δειλακρίων*, 242—244 *Πρασιαὶ — πρᾶγμα*, 246—248 *Μέγαρα — μεγάλα*, 431—432 *φιάλην — 'φιαλοῦμεν*, 835—836 *Ἴων — Ἀοῖον*, 926 *βοΐ — βοηθεῖν*, 927—928 *ὑΐ*

— ὑήνια, 930—935 οἴ — Ἰωνικῶς οἴ — ἁμνοί, 962—965 κριθῶν — κριθήν, 1021 σχίζα — Στιλβίδην (?), 1071—1072 Βάκις — βακίζων, 1310 λευκῶν ὀδόντων . . . μασῶνται (λευκῶν ἀνδρῶν . . . μάχωνται), 1338 (Τρυγαῖος) τρυγήσομεν, in Av. vss. ὅς ὄρνις ἔγενετ' ἐκ τῶν ὀρνέων (βασιλεὺς ἐκ τῶν βασιλέων), 56—57 παῖ — ἐποποῖ, 79 τρέχω — τρόχιλος, 125—126 ἀριστοκρατεῖσθαι — τὸν Σκελλίου, 179—184 πόλος — πόλις, 565 Ἀφροδίτη — φαληρίδι, 568—569 ὀρχίλος — ἐνόρχην, 762—763 Φρὺξ — φρυγίλος, 869 Σουνιέρακε — Πελαργικέ, 870 Λητοῖ Ὀρτυγομήτρᾳ, 874 Κολαινίς — Ἀκαλανθίς, 875 φρυγίλῳ Σαβαζίῳ (Φρύξ), 1042—1043 Ὀλοφύξιοι — ὠτοτύξιοι, 1155—1156 πελεκᾶντας — ἀπεπελέκησαν, 1204 Ἶρις, 1529—1530 Τριβαλλοί — τοὐπιτριβείης, 1545—1546 ἀνθρώποις — ἀπανθρακίζομεν, in Lys. vss. 7—8 σκυθρώπαζ' — τοξοποιεῖν, 67—68 Ἀναγυρουντόθεν — ἀνάγυρος, 110 σκυτίνη ἐπικουρία (συκίνη ἐπικουρία), 751—752 κυνῆν — κυεῖν, in Thesm. vss. 30 Ἀγάθων ὁ τραγῳδοποιός — ποῖος ἀγάθων, [272—273 Διὸς οἴκησιν — Ὑποκράτους ξυνοικίαν sic Fritzschius.], 448 στεφανηπλοκοῦσ' — πολύπλοκον, 529 παντί που χρὴ μὴ δάκῃ ῥήτωρ ἀθρεῖν (cf. Ribbeckii annott. ad Ach. vs. 648), 881—883 Πρωτεὺς — Πρωτέας, 898—899 Θεονόη — Ἀντιθέου, 1101—1104 Γοργόνος — Γοργός, 1215 συβίνη — καταβινῆσι, in Ran. vss. 83—84 Ἀγάθων — ἀγαθός, 125 ψυχρὰν — ἀποπήγνυσι, 184 χαῖρ' — Χάρων, 211—217 λιμναῖα — Λίμναις, 427 Σεβῖνον — ἀναφλύστιος, 735 χρῆσθε τοῖς χρηστοῖσιν, 751—753 μαίνομαι — ἐκμιαίνομαι, 970 Χῖος — Κεῖος, 1434 σοφῶς — σαφῶς, 1465 πόρον — ἀπορίαν — πόρον, 1477 πνεῖν — δειπνεῖν, in Eccl. vss. 184—186 Ἀγύρριον — ἀργύριον, 355—362 ἀχρὰς — ἀχραδούσιος, 686—687 κάππ' — κάπτωσιν, 979—980 Ἀναφλύστιον — Σεβῖνον, 1017—1021 προκούσῃ — Προκρουστής, in Pluti vss. 973 974 κατακέκνισμαι — κνισμὸν, 1061—1062 πλυνόν — ἐκπλύνειε, 1128—1129 κωλῆς — ἀσκωλίαζ', 1130—1131 σπλάγχνων — σπλάγχν'.

Perscriptis his verborum lusibus simplicibus et compositis, quos quidem viri docti invenerunt, omnibus, operae pretium forsitan viderer facere, si, cur hunc vel illum versum alterutri lusuum generi attribuissem, paucis explicarem. Nam cum haud levis plerumque sit momenti, utrum simplicem lusum dicas, an compositum, quippe cum totius versus ars et natura quodammodo inde videatur pendere, dubium non est, quin, quo quis rerum Aristophanicarum sit peritior, eo is ad hanc ipsam lusuum distributionem animum advertat acrius, singula perpendat diligentius,

probet alia non sine haesitatione, alia vituperet vehementius. Neque tamen id adeo verebar, ne, quot cuique lusus aut simplices aut compositos falso dixisse, tot ego Aristophanis facetias male interpretatus esse viderer, quam ne multos versus in quibus nihil facetiarum inesset, inter lusus retulisse, alios, qui essent referendi in hoc vel illud lusuum genus, neglexisse putarer. Itaque quamquam non facile est diiudicatu, utrum simplex statuatur an compositus verborum lusus — velut in Ach. vss. 808—809:

ὡς Τραγασαῖα φαίνεται.

Μεγ. ἀλλ' οὔτι πάσας κατέτραγον τὰς ἰσχάδας,

in quibus si compositum verborum lusum dicas inesse, κατέτραγον ad Τραγασαῖα ita refertur, ut non versum priorem, sed posteriorem demum risus consequatur — multo tamen etiam magis, utrum omnino alteruter lusus inesset, nec ne, multis in versibus ambigi videbam.

Saepe enim praesertim in immutatis verbis incerti haeremus; quibus quae rideamus contineri perspicimus statim; utrum in lusibus annumeremus, an in alio quodam ridiculorum genere, haud raro dubitamus. Quod ut illustretur exemplo Eccl. versum 253

. . . . τὰ τρύβλια

κακῶς κεραμεύειν, τὴν δὲ πόλιν εὖ καὶ καλῶς

cum Pacis vss. 250—251 conferam, qui sunt:

Πολ. ἰὼ Σικελία, καὶ σὺ δ' ὡς ἀπόλλυσαι.

Τρυγ. οἵα πόλις τάλαινα διακναισθήσεται.

Quos versus, si quis vel primum attigerit, statim verbum διακναίειν ioci gratia a poëta adhibitum esse intelleget, ac si de caseo illo Siculo ageretur, cuius mentio iam fit in Vesp. vss. 838, 897, 911. Sed cum vox Σικελία hoc loco vocis τυρὸς vicem non gerat, non duplex his in versibus latet sensus, sed verbum modo διακναίειν a caseo terendo ad civitatem evertendam translatum est.

In Ecclesiazusarum autem versu 253 κεραμεύειν, quo proprie utimur, cum ad ollas descendit oratio, non hoc solo sensu, sed translata etiam ad rem publicam gerendam notione usurpatur. Duplex igitur est in hoc versu unius verbi sensus cum duobus iisque diversissimis nominibus coniuncti. Quam ob rem, quamquam non erat plane necessarium, non tamen iniuria hunc versum ad

lusus simplices ascripsi. Namque ea in enumerandis Aristophanis verborum lusibus ratione utebar, ut, qui ioci aliqua ex parte verborum lusus viderentur dici posse, eos omnes inter lusus benigne reciperem. Largior enim et copiosior his in rebus, quam tenuior et astrictior videri malebam. Nihilo vero secius multas, ut identidem dicebam non temere, haec lusuum disquisitio cautiones habebat. Quid quod annominationes tum sunt inter lusus referendae, tum non sunt? Annominationem enim dicimus, cum plures literae vel syllabae eundem sonum reddunt. Quod si fit in verbis relatis contrarie, [1]) verborum gignitur lusus, ut in Ach. vss. 1122—1123 *κιλλίβαντας — κριβανίτας*; si carent verba sale, dummodo sint similia, laudari tamen potest annominatio. Quam ob rem, cum non raro utatur Aristophanes his elocutionis ornamentis, addam etiam ex hoc figurarum genere nonnulla, ne quis lusuum copiam hinc augeri potuisse contendat; cf. igitur in Ach. vss. 222 *γέροντος ὄντος*, 303 *λόγους λέγοντος*, 575 *τῶν λόφων καὶ τῶν λόγων* (et v. 1074), 688 *σπαράττων καὶ ταράττων*, in Equ. vss. 213 *ἅπερ ποιεῖς ποιεῖ*, 287 *κατακεκράξομαί σε κράζων*, 487 *κράγον κεκράξεται*, in Nub. vs. 6 *ἀπόλοιο πόλεμε πολλῶν οὕνεκα*, in Vesp. vss. 278 *γέροντος ὄντος*, [2]) 466 *πόνῳ πονηρέ*, 560 *ὀργὴν ἀπομορχθείς*, 759 *κλέπτοντα Κλέωνα*, in Pacis vs. 900 *κέλης κέλητα παρακελητιεῖ*, in Av. vs. 1379 *ἀνὰ κύκλον κυκλεῖς*, in Ran. vss. 392—393 *παίσαντα καὶ σκώψαντα νικήσαντα*, 463 *τὸ σχῆμα καὶ τὸ λῆμ' ἔχων*, 740 *πίνειν καὶ βινεῖν*, 815 *θήγοντος ὀδόντα*, 1001—1002 *ἄξεις καὶ φυλάξεις*, in Thesm. vs. 793 *μανίας μαίνεσθε*, in Lys. vs. 350 *πόνῳ πονηροί*, quae si quis discernere et diversis etiam nominibus appellare velit, ad Hermogenem, Quintilianum, vel ad ipsum Ciceronem confugiat. [3])

---

[1]) quae Graeci *ἀντίθετα* nominant, cum contrariis opponuntur contraria. Cic. or. 50.$_{166}$

[2]) cf. Meinekii Com III. p. 618 „Non sine comico quodam lepore eadem parechesi usus est Aristophanes etc."

[3]) cf. quae Hermog. in lib IV. *περὶ εὑρέσεων* dicit *περὶ παρηχήσεως· παρήχησις δέ ἐστι κάλλος ὁμοίων ὀνομάτων ἐν διαφόρῳ γνώσει ταὐτὸν ἠχούντων· οἷον ὅταν δύο ἢ τρεῖς ἢ τέσσαρας λέξεις ἢ ὀνόματα εἴπῃ τις, ὅμοια μὲν ἠχοῦντα, διάφορον δὲ τὴν δήλωσιν ἔχοντα ὡς παρὰ τῷ Ξενοφῶντι, πείθει τὸν Πειθίαν.* Idem fere Aquila Romanus dicit in libro, qui de figuris sententiarum et elocutionis inscribitur, sub voce *παρωνυμία:* „levis immutatio. Haec figura ita ornat orationem, ut in nomine aut in verbo, interdum syllaba, nonnunquam litera immutata diversa significet. Ut si velis sic enuntiare: Praetor ille, vel potius praedo sociorum." Idem Publ.

Nos ea tantum cura exercebat, ne quis hos verborum lusus putaret. Partim enim vel plane sunt fortuita, ut *ὀργὴν ἀπομορχθείς*, partim etiam ita fere necessaria, ut vix, si velis, possis evitare, velut *μανίας μαίνεσθε*. Quam ob rem vix inter figuras haec omnia videntur esse referenda, nedum inter lusus, quibus nil est, quo quis Aristophanem minus aequaverit.

Quod si quis tota mente comprehenderit, facilius verborum lusus a reliquis ridiculis dignoscet, quam si omnia grammaticorum schemata et de figuris praecepta edidicerit. Sensum enim aliquem in verborum lusu inesse aut, si non insit, videri tamen debere inesse meminerit. Decipimur enim, cum luditur verbis [1]) Neque est omnino verborum lusus, quo non decipiaris.

Itaque ubi dicit Aristophanes *Πλοῦτος ἐξωμμάτωται*, quamquam aut de eo recte dicitur, qui oculorum acie privatur, aut de eo, qui restitutis oculis videre coepit, tamen, quoniam in Pluti versu 635 alterum modo cogitatur, neque habet sensum versus, si utraque, quam diximus, significatione hoc verbum accipi debere contendas, nemo verbi lusum illic latere putabit. Nec putavit

Rutilius Lupus sub voce *παρωνυμία* (in lib. I. de fig. sent. et eloc.): „Hoc aut addenda aut mutanda aut porrigenda aut contrahenda litera aut syllaba fieri consuevit. Custodiam sacrorum non honoris, sed oneris esse existimavit. Idem in c. 21 lib. IV. qui est ad Herennium inscriptus de annominatione legitur, quam *παρονομασίαν* Graeci vocabant: „Annominatio est, cum ad idem verbum et idem nomen acceditur commutatione unius literae, aut literarum, syllabae aut syllabarum, aut ad res dissimiles similia verba accomodantur, ut veniit a te, antequam Romam venit sqq." Multa his de rebus Quintilianus egit in inst. or. lib. IX. cap. 3, qui etiam *πάρισα*, *ὁμοιοτέλευτα*, *ὁμοιόπτωτα* scite distinxit; de quibus etiam Alexandrum et Zonaeum, alios, qui *περὶ σχημάτων* scripserunt iuvabit contulisse.*) Aliquid e Suidae lexico depromam, qui haec annotavit sub voce *παραγραμματίζων. ὅπερ παρήχημα λέγεται*; sub voce *παραγραμματισμός· ὅταν γράμμα ἀντὶ γράμματος τεθῇ· οἷον ἀντὶ τοῦ μυρσίνη βυρσίνη κτλ.* Confer praeterea O. L. Rohdewaldi dissertationis de usu proverbiorum apud Aristophanem pag. 27—38, ann. Engeri ad Thesm. vs. 1197, Fritzschii ad Thesm. vs. 273 (de alliteratione), Muelleri ad Ach. v. 575 (de parechesi), Richteri ad Vesp. prolegom. pag. 114, ann. ad Vesp. vs. 610, ad Pacis vss. 1, 59 (de verborum lusibus), ad Pac. vs. 32 (de homoeoteleuto), Teuffeli ad Nub. vss. 320, 1163, Th. Kockii ad Eq. vs. 615.

[1]) cf. Aristot. Rhet. III 11. . . *τὰ παρὰ γράμμα σκώμματα· ἐξαπατᾷ γάρ* et quae supra diximus pag. 15.

*) apud Walzium in tom. VIII. p. 475—478 et 687—688 apud Spengelum in rhet. gr. vol. III. p. 35—36 et 168—169.

quisquam. Certissimo enim exemplo et in quo explicando minima foret interpretum dissensio, utebar. Multi vero sunt inter eos versus, quorum vim et leporem VV. DD. in verborum lusibus positam esse putaverunt, quos aut neges esse ioculares, aut in quodlibet ridiculorum genus malis coniicere. [1])

III.

Quorum nonnullos tractabo deinceps. Ad Vesp. vss. 9—12:

Σωσ. οὐκ, ἀλλ' ὕπνος μ' ἔχει τις ἐκ Σαβαζίου.
Ξαν. τὸν αὐτὸν ἄρ' ἐμοὶ βουκολεῖς Σαβάζιον.
κἀμοὶ γὰρ ἀρτίως ἐπεστρατεύσατο
Μηδός τις ἐπὶ τὰ βλέφαρα νυσταχτὴς ὕπνος κτλ.

haecce I. Richterus annotavit: „Μῆδος: schol. ἢ πρὸς τὸ Σαβάζιος (Διόνυσος Thracum) εἶπε καὶ οὗτος τὸ Μῆδος, ἀντὶ τοῦ ἐχθρός. — Peregrinis enim nominibus utuntur. Verum etiam sonorum lusum hic deprehendas, quasi Σαβάζιος sit ὁ πολλὰ βάζων et Μῆδος ὁ μηδόμενος. Ceterum videtur posterius esse, ut supra dicto ἀπομεριμνηρίσαι respondeat. Vigilia enim longinqua ad meditandum pariter atque ad cogitandum nutandumque impellit utrumque." Quae alte sunt petita et ne necessaria quidem, cum, quae scholiastae ad explicandos hos versus attulerunt, videantur sufficere.

Annotavit idem V. D. ad eiusdem fabulae versum 257 τὸν πηλὸν ὥσπερ ἀτταγᾶς τυρβάσεις βαδίζων praeter alia, quae magna cum industria collegit: „Nostro loco non solum cum ave palustri senes comparantur, sed inest quoque sonorum lusus ἀτταγᾶς ἄττα." Quae addidit: „Quin etiam avis comparatur, quod senes cruribus ingredi tenuibus solent gressuque trepido atque infirmo," lauda-

[1]) Ipse etiam Romanorum loquendi usus nonnunquam VV. DD. sententias obscurabat. Utimur enim ludendi, alludendi verbis et ipso etiam lusus nomine, ubi nobilissimum illum, quem aut verbi aut verborum lusum, aut simplicem aut compositum esse et aut ambiguis contineri verbis dicebamus aut similibus, nequaquam significamus. Nec tamen ulla inde oriebatur difficultas. Nam ubi A. Muellerus, ad Ach. vs. 1053 ἐς τὸν ἀλάβαστον κύαθον εἰρήνης ἕνα annotavit: ‚alludit poëta h. l. ad unguenta, quibus sqq.", vel F. V. Fritzschius ad Ran. vs. 100 αἰθέρα Διὸς δωμάτιον ἢ χρόνου πόδα: „Itaque iniusta et toto genere ieiuna videtur censura lususque iste Comici," vel idem ad Thesm. vss. 116—117 κλῄζουσα — ὀλβίζουσα: „Etiam lusum istum sonique similitudinem studiose quaesivit personatus Agatho", alia quaedam, non verborum lusus (in Thesm. vs. 1. parechesin) designari facile intellegimus.

mus. Re vera enim haec nonnunquam inter senes et attagenes intercedit similitudo. Neque tamen eo magis cogimur, ut Homeri illud *ἄττα γεραιέ* in mentem revocemus, praesertim cum, si esset hic verborum lusus, non vox *ἄττα*, quae non habetur hoc loco, sed vox *ἀτταγᾶς* ridicula redderetur, cum tamen, si voluisset ludere poëta, non attagenes, sed senes fuisset illusurus.

Tertium addam e Vespis locum a versu 358 usque ad 364, quos Philocleo recitavit:

κοὐδείς μ' ἐφύλαττ', ἀλλ' ἐξῆν μοι
φεύγειν ἀδεῶς. νῦν δὲ ξὺν ὅπλοις
360 *ἄνδρες ὁπλῖται διαταξάμενοι*
κατὰ τὰς διόδους σκοπιωροῦνται,
τῶν δὲ δύ' αὐτῶν ἐπὶ ταῖσι θύραις
ὥςπερ με γαλῆν κρέα κλέψασαν
364 *τηροῦσιν ἔχοντ' ὀβελίσκους.*

Denuo I. Richteri editionem evolve, in qua haec habentur ad vs. 364: „Ludit Noster verbis *ὀβελίσκους* et *ὁπλῖται* v. 360, quod servos verua gestantes honesto militum nomine appellat.“ Fallitur, opinor, vir prae ceteris acutus. Nam si esset hic verborum lusus *ὁπλῖται* — *ὀβελίσκους*, *ὁπλῖται* nomen explicavisset poëta, ac si essent ‚*ὀβελῖται*'. Neque tamen haec inter voces *ὁπλῖται* et *ὀβελίσκοι* similitudo tanta est, ut ultro nobis vs. 360 legentibus sese offerat. Quatuor igitur versus recitantur, priusquam voce *ὀβελίσκους* similis illius nominis commonefimus. Tum autem vocis *ὁπλῖται* memoria iam evanuit. Nam cum, qui audiunt versus 359 et 360 „*νῦν δὲ ξὺν ὅ π λ ο ι ς ἄνδρες ὁ π λ ῖ τ α ι διαταξάμενοι*“, *ὁπλίτας* Bdelycleonis servos dici putent, quod *ὅπλοις* armati senis egressus explorent et custodiant, alteram huius vocis *ὁπλῖται* explicationem non exspectant.

Non magis, quam hic lusus, placuit, quem idem V. D. in Vesp. vs. 718 sibi videbatur invenisse. En versus 717 et 718:

. . . *ἔδοσαν δ' οὐπώποτέ σοι πλὴν πρώην πέντε μεδίμνους,*
καὶ ταῦτα μόλις ξενίας φεύγων ἔλαβες κατὰ χοίνικα, κριθῶν.

Ad quos haec I. Richterus: „*κριθῶν* cum *μεδίμνους* coniungendum; possit etiam cum *χοίνικα* aut cum *ἔλαβες*. cf. Eng. Thesm. 811. Ludit verbo *κριθῶν*, quasi dicat *παρὰ τῶν κριτῶν*, cum proxime antecedat *ξενίας φεύγων*: *κατὰ χοίνικα* vero idem valet, quod nostrum: „quantsweise.“ At cur *παρὰ τῶν κριτῶν* intellegamus, requiritur! Nam praeterquam quod, si *οἱ κριταί* frumenta civibus dis-

pensabant, ipse Philocleo inter hos annonae praefectos recipiendus erat — erat enim vel *δριμύτατός τις κριτής* — nihil nostra refert, ut verba *ξενίας φεύγων* accuratius interpretemur. Per se enim plana sunt, nec pluribus opus est. Sin autem *κριθῶν* vero sensu accipimus et ipsam huius vocabuli in fine totius sententiae collocati vim et sedem consideramus, non dubitamus, quin poëta egentiores cives vili hordeo, ditiores tritico, *πυροῖς*, donatos significaverit. Quae tantum virum certe non latuerunt; apud Bothium enim leguntur, qui haec annotavit: „Igitur triplici tum fraude populum circumvenerant pessimi demagogi: primum non frumento, quod promissum erat, dividendo, sed hordeo, tum sqq.“ Quae diligentius fere etiam a Droyseno exarata reperies. Taceo reliquos. Benigne enim ipse I. Richterus concedet, se in indagando hoc lusu nimis sibi indulsisse.

Nonnunquam, utpote in re difficili, ipse I. Richterus, utrum lusum verbis statueret contineri nec ne, dubitavit. Haec enim ad Vesp. vss. 493—495 annotavit: „Nota quoque *χάσκει* et *χαλαρά* vicina.“

In versibus 276 et 432, qui sunt:

ἢ προσέκοψ' ἐν
τῷ σκότῳ τὸν δάκτυλόν που

et *οἱ δὲ τὠφθαλμὼ κύκλῳ κεντεῖτε καὶ τοὺς δακτύλους* vocem *δάκτυλος* ambiguam putavit.[1]) Quae non magis possunt concedi, quam quae ad Pacis vss. 717 (*βουλή* — *βοῦς*), 1007 (1017) (*μάχαιραν* — *μαγειρικῶς*), 1029 (1036) (*ταυτὶ δέδραται*), 1299 (1306) (*φλᾶν ταῦτα πάντα καὶ σποδεῖν*) de lusibus, qui his in verbis haberentur, disseruit. Neque tamen his in versibus illustrandis morabor — ad finem enim propero — sed ad eos versus pergere satius est, quibus explicandis operae pretium facere videar. Etenim duo sunt praeter hos, de quibus egimus, versus, quos I. Richterus ambiguos esse censuit. Quos perscribam diligenter atque illico Pac. vss. 12—21:

Οἰκ. Α. 12. *ἑτέραν, ἑτέραν δὸς παιδὸς ἡταιρηκότος·*
τετριμμένης γάρ φησιν ἐπιθυμεῖν.

---

[1]) cf. Richteri Pac. 123 „ . . . . . denique videtur hoc loco sensu obscoeno dictum esse totum pro parte idemque significare quod *δάκτυλος* e. g. ni fallor Vesp. 276, 432“.

Οἰκ. Β. ἰδού.
ἑνὸς μέν, ὦνδρες, ἀπολελύσθαι μοι δοκῶ.
οὐδεὶς γὰρ ἂν φαίη με μάττοντ' ἐσθίειν.
Οἰκ. Α. αἰβοῖ· φέρ' ἄλλην, χἀτέραν μοι, χατέραν,
καὶ τρῖβ' ἔθ' ἑτέρας.
Οἰκ. Β. μὰ τὸν Ἀπόλλω 'γὼ μὲν οὔ·
οὐ γὰρ ἔθ' οἷός τ' εἰμ' ὑπερέχειν τῆς ἀντλίας.
Οἰκ. Α. αὐτὴν ἄρ' οἴσω συλλαβὼν τὴν ἀντλίαν.
Οἰκ. Β. νὴ τὸν Δί' ἐς κόρακάς γε, καὶ σεαυτόν γε πρός.
ὑμῶν δέ γ' εἴ τις οἶδ' ἐμοὶ κατειπάτω,
21. πόθεν ἂν πριαίμην ῥῖνα μὴ τετρημένην κτλ.

Ad quem versum 21 haec mirabundus leges a V: D. annotata: „animadvertas verborum lusum: τετριμμένης v. 12 et τετρημένην, eo maiorem, cum itacismi defensor eris.“ Quem lusum, quamquam vel ipsa, quae inter duo illa verba interposita est, novem versuum series impedit, quominus simillimi cuiusque vocabuli retineatur memoria, tamen forsitan condonarem Richtero, si aliquo modo versus 21. ad 13. ridicule referretur. Sed cum quaerit e consorte servus alter, undenam nasum emat non perforatum, nimias odorum iocose queritur molestias, quos offae illae toties iteratae spargant. Non igitur iocus, qui est in vs. 21, cum putidissimo illo vs. 12. cohaeret, sed ad ἑτέραν, ἑτέραν, χἀτέραν μοι χἀτέραν, συλλαβὼν τὴν ἀντλίαν multo magis pertinet. Itaque ut turundae illius e stercore asinino paratae post versum quartum non amplius meminimus, ita etiam versuum 12. et 13. proximo illo, qui versu 14 continetur, ioco excidit memoria.

Ad mundiora tandem deveniamus! Sunt in Pacis comoedia senum versus 335 et 336:

ἥδομαι γὰρ καὶ γέγηθα καὶ πεπορδα καὶ γελῶ
μᾶλλον ἢ τὸ γῆρας ἐκδὺς ἐκφυγὼν τὴν ἀσπίδα,

quem versum iam Florens Christianus sic est interpretatus: „Et haec translatio est a serpentibus, qui senium ponant. Videtur autem senium pro bello dixisse, quia nihil aeque pacis amantes colonos contristat et marcescere facit atque bellum. Unde postea ait: ἁπαλόν γ' ἄν μ' ἴδοις καὶ πολὺ νεώτερον: loquitur enim chorus senum; at cum ait ἐκφυγὼν τὴν ἀσπίδα dupliciter alludit in homonymia ἀσπίδος et ad serpentem et ad clipeum.“ Male ille quidem! En hic est verborum lusus: γέρων ὢν μᾶλλον ἂν ἡδοίμην ἐκφυγὼν τὴν

ἀσπίδα, ἢ ἀσπὶς ἐκδῦσα τὸ γῆρας, sed quae leguntur apud Aristophanem: γῆρας ἐκδὺς .... ἐκφυγὼν τὴν ἀσπίδα doctissimum illum facetissimumque Gallum opipare fefellerunt. Tantum enim abest, ut ἀσπίδα illic duplici notione dictum sit, ut, si de serpente velis cogitare, totus careat versiculus sensu. Quod detrimentum ne caperent Aristophanis laudes, in Aristophanicorum virorum civitate consules debebant providere!

Reperiebantur etiam a VV. DD. nonnulli verborum lusus in Thesmophoriazusis, veluti in vss. 449—452, qui sunt:

τέως μὲν οὖν ἀλλ' ἡμικάκως ἐβοσκόμην·
νῦν δ' οὗτος ἐν ταῖσιν τραγῳδίαις ποιῶν
τοὺς ἄνδρας ἀναπέπεικεν οὐκ εἶναι θεούς·
ὥστ' οὐκέτ' ἐμπολῶμεν οὐδ' εἰς ἥμισυ,

quibus in versibus ut ἡμικάκως illud contra Lobeckium defenderet, οὐδ' εἰς ἥμισυ voci illi ἡμικάκως oppositum esse dixit F. V. Fritzschius. Cui viro praeclaro, quamquam quae disputavit de forma ἡμικάκως plane assentior, tamen in quo dicit ludere his verbis Aristophanem, fidem non habeo. Nam nisi forte putat aliquis eam mulierem, quae antea ἡμικάκως vitam sustentavisset, postea vero ne dimidiam quidem corollarum partem vendidisset, significavisse se ne quartam quidem, quo ad vivendum opus esset, quaestus partem labore suo sibi potuisse parare, non fit, ut verbis ἡμικάκως et ἥμισυ lusisse Aristophanem dicamus. Tantum vero abest, ut de quarta illa victus parte quidquam cogitetur, ut vix ipse mihi persuadeam tam insignem Thesmophoriazusarum interpretem in istum errorem incidere potuisse, praesertim cum neque ἡμικάκως similis praesidii indigeat et totius loci sententia tam simplex tamque plana sit, ut explicatione facile supersedeamus. Iam pridem enim quinque liberorum mater misere vixerat; postea peius etiam se habebat. Quid praeter hoc? Ubinam lusus iste? Non est, mihi crede, aut si est, Aristophane erat indignus.

Implicatior quaestio est de Thesm. vs. 912:

ὦ χρόνιος ἐλθὼν σῆς δάμαρτος ἐς χέρας.

Ac sic quidem hic versus in editionibus, quas quidem ipse inspexi, omnibus legitur. Cod. autem Aug. scriptura est ἐσχάρας; Bern. Iunta ex Urb. libro m. s. exhibuit ἐς χάρας. In Ravennate cod., si quidem I. Bekkero fidem habemus, ἐς χέρας legitur (in v. 912); sic enim ille tacite edidit. Invernizius autem ad vs. 916 (910) haec

annotavit: „Liber noster (Rav.) ut vulgo Μενέλαον ὅσα γ' ἐκ τῶν ἀφύων. Emendationem ex Suida Piersonus ad Moerin p. 7 eleganter excepit. Idemque v. 918 ἐς χάρας." Sic etiam Dindorfius in ed. poët. scen. Lipsiensi (a. 1868): „912. ἐς χέρας ex Eurip. Hel. 573.] ἐς χάρας, (ἐσχάρας Aug.)." Apud F. V. Fritzschium legimus: „Enimvero cod. Aug. et Iuntina ἐς χάρας exhibent, idque ipsum Ravennati tribuit Invernizius merito; perverse enim I. Bekkerus Ravennati hic ἐς χέρας, mox autem v. 914 περίβαλλε δὲ χάρας assignat. Ita interdum comici ludunt, ut interpreti criticoque honor praefandus sit. Veluti nostro in loco, si quidquam codicibus tribuendum est, Aristophanes Euripideum σῆς δάμαρτος ἐς χέρας sic videtur immutasse, ut potius scriberet σῆς δάμαρτος ἐσχάρας." Tum V. D. Equ. v. 1283 et Suidam sub voce ἐσχάραι laudavit. Addo etiam Rob. Engeri notam: „ἐς χάρας Rav. Iunt. ἐσχάρας Aug. quod lepide Fritzschius probat, probavitque iam ante eum B. Thierschius, in eo certe prudentior, quod ἐλθών simul in ἥκων mutandum censet. Etiam Put. ἐσχάρας interpretatur. (sqq.) ἐς χέρας quod est apud Euripidem, restituit Kusterus, ut iam Zanettus ediderat."

Itaque quamquam haec diligentius perscribere debebant VV. DD., ne vel de codicum scripturis esset dubitandum, tamen ne in trium quidem librorum consensu omnis adempta foret de hoc versu dubitatio. Etenim etiamsi codices aut ἐσχάρας exhibuissent, quod lepore non caret, aut ἐς χάρας, quod omnino erat mutandum, tamen fuissent futuri, qui hunc Aristophanis versiculum ad Euripidis exemplar corrigere, quam turpium locorum numerum augere mallent. Quid enim magis est verisimile, quam ne Athenienses quidem spectatores tantopere calluisse Euripidis fabulas, ut singula verba vel obscurissimi cuiusque versus et in quo plane nihil inesset, quod dignum videretur memoria, tam bene recordarentur, ut vel simili aliquo vocabulo ἐσχάρας tritissimorum iis Euripidis verborum ἐς χέρας in mentem veniret? Quodsi toto quidem loco et per universam hanc comoediam Euripidem exagitari Athenienses senserunt, uno hoc vocabulo ἐσχάρας Euripidis ἐς χέρας designari non senserunt, speciosior est quam verior Fritzschii emendatio et suapte natura corruit. Neque ego cum in hoc cum F. V. Fritzschio certamen descendi, ἐλθών illud et numerum pluralem ἐσχάρας mihi munimento fore speravi. Caute enim hoc providerat summus dux et inter turmales Aristophanicos

magister. Sin autem Aristophanes, ut dicit ille, scripsit ὦ χρόνιος ἐλθὼν σῆς δάμαρτος ἐσχάρας et, ut equidem puto, Athenienses hac versus clausula Euripidis illud (ἐς χέρας) illudi nescierunt, dubium non est, quin id ipsum, quod coram audiverunt, aliquomodo interpretari conati sint. Atque initio quidem de aris et focis, tum demum translata ad mulieres significatione vocabulum ἐσχάρας intellexerunt. Non certe inviti. Nam postquam σῆς δάμαρτος ἐς δόμον dici putaverunt, belle sese deceptos esse δεξιοὶ illi Aristophanis θεαταὶ non aegre tulerunt. Alacres enim erant, ad hilaritatem propensi minimeque morosi. Sed utrum verae huic vocabuli ἐσχάρα notioni melius pluralis numerus an singularis accomodetur, ipse viderit Fritzschius. Non certe in hac quaestione dirimenda Equ. vs. 1283 et, quem testem citavit, Suida utetur. Labefactatis igitur, quae Fritzschius obstruxerat, propugnaculis omnibus et vulgata per omnes editiones lectione ἐς χέρας fortiter defensa, vasa tandem colligam et castra mea alio loco ponam.

Itaque duobus versibus, Lys. vs. 855, quo ᾠὸν ἢ μῆλον non sine ambiguitate commemorari putavit Rob. Engerus, tum Pluti vs. 253, cuius fine ταὐτὸν θύμον φαγόντες Homeri illud ὃν θυμὸν κατέδων designari serio vultu Berglerus asseveravit, quasi per transennam notatis, [1] auspicato ad eos versus explicandos me convertam, in quibus non repertos ab aliis reperisse verborum lusus mihi visus sum. In quibus illustrandis haud sciebam, an obscurior passim vituperaretur elocutio. Veruntamen tecte quaedam et veluti intra parietes cum VV. DD. communicare, quam indocti rudisque harum literarum popelli cachinnos ciere malebam.

IV.

Equ. vss. 351—352.

Cleo vociferans cum isiciario crassi hominis vanam oratoris gloriae affectationem deriserat, quod forte aliquando bene praeparatus et tota nocte in ediscenda oratione consumpta, ὕδωρ τε πίνων, contra peregrinum causam agere ausus esset. Ad quae his respondet isiciarius:

vs. 351 τί δαὶ σὺ πίνων τὴν πόλιν πεποίηκας, ὥστε νυνὶ
352 ὑπὸ σοῦ μονωτάτου κατεγλωττισμένην σιωπᾶν;

[1]) Adde in Ran. vs. 1308 ἡ Μοῦσ', quo τὴν ἐμοῦσαν non designari iam Thierschius ostendit.

Hosce versus sic vertit Kusterus: „Tu vero quidnam fecisti bibendo civitatem, quae garrulitate tua turbata cogitur tacere?" Ribbeckus: „Und was hast du getrunken, dass so schön es dir geglückt ist, die Stadt, von dir allein beschwatzt, ganz mausetodt zu machen?" Th. Kockius ad πίνων annotavit? „instrumentales Particip," ad τὴν πόλιν: „Prolepsis."

Alia igitur alii verba iunxerunt. Ac Kusterus quidem, cum non temere „bibendo" „civitatem" iuxta posuerit, πίνων (τὴν πόλιν) exhauriendi sensu accepit. Quae verborum πίνειν et καταπίνειν significatio, quamquam saepe reperitur et hoc loco etiam non mediocrem verborum lusum efficit — praesertim cum τί δαὶ facile ad πεποίηκας, ὥστε κτλ. referatur — tamen participio κατεγλωττισμένην, quod verbum ad reconditiorem plerumque voluptatem pertinet, adducor, ut etiam πίνων τὴν πόλιν longe alio sensu dictum putem, atque illi voluerunt. Quicunque Aristophanicis literis imbutus est, facile Ran. vs. 740 recordabitur.

Interrogat igitur isiciarius idemque ad interrogata per lusum respondet, ita ut nequissimam sordidissimamque Cleonis audaciam acerbe perstringat.

Equ. vs. 407.

Dixerat chorus se Cleonem odisse et se gavisurum esse, si quando, quae commoda malis artibus quaesivisset, iis male privaretur; tum addit non se solum cantaturum esse πῖνε, πῖν' ἐπὶ συμφοραῖς, sed etiam τὸν Ἰουλίου, γέροντα πυῤῥοπίπην ἡσθέντ' ἰηπαιωνίσαι ἄν.

Τὸν Ἰουλίου non est, qui hac aetate defendat; nam quod Meinekius in Vindic. Aristoph. lib. p. 56 proposuit: „*Τὸν Βουλίου*", W. Ribbeckus et, qui hanc comoediam apud Weidmannos edidit, Th. Kockius, tantum non in textum receperunt. Quorum cum alter vetus paroemium attulerit, quo hunc locum explicaret, „*Βουλίας δικάζει*", alter consentiens cum illo verterit: „Er ist der Mann, der immer will," fere doleo, quod Meinekius, quid nova lectione vellet significari, non pluribus ostendit. Ego enim non de uno Bulii filio, quisquis ille erat, cogitabam, sed totam βουλήν designari existimavi. Quid? cum una Demi persona totius populi Atheniensis partes agat, per unum illum Bulii filium βουλήν et βουλευτάς poëta non potuerit significare? Accedit, quod in vss. 395, 396 ipse Cleo magnam illam buleutarum in se gratiam iactavit, ita ut

adversarius eius aptissime dicat: „Non ego solus laetabor, cum te periisse videro, sed ipse quoque Atheniensium senatus, cui nimium fidis, gaudio exsultabit.“

At quomodo *πυῤῥοπίπην* illum *γέροντα* explicabis? Aut hilarem et lascivum, voluptati obsequentem, vitaeque nimis cupidum senem illum esse dicemus, cuius iuvenilis etiam animus et vigor facile accendi et incitari possit, ut gaudio elatus vel alta voce cantare incipiat — aut hic etiam versus Droyseno suffragabitur, qui Cleonem fulvos crines habuisse suspicabatur. Quae sententia cum non in solo versu 901 huius comoediae (*Πυῤῥάνδρου τὸ μηχάνημα*) nitatur, sed etiam e Ran. vs. 730:

τοῖς δὲ χαλκοῖς καὶ ξένοις καὶ πυῤῥίαις
καὶ πονηροῖς κἀκ πονηρῶν εἰς ἅπαντα χρώμεθα κτλ.

colligi queat, quippe quo viles nummi malique reipublicae gubernatores ambiguis verbis aeque notentur, — nostro loco *πυῤῥοπίπαι* senatores illi Athenienses nimis a Cleonis nutu pendentes eumque semper omnibusque in rebus respicientes dici poterant. Iam habes ad omnia. Chorus enim Cleonem senatorum studia prae se ferentem (vs. 395) mobilis illius popularis aurae commonefacit, quae felices sequatur, mutata fortuna ipsa quoque mutetur, ita ut is, qui vigentis etiam fulvi Cleonis assectator fuerit, aut mortuum aut patria honoribusve expulsum aut aliis denique adversis rebus labefactatum, videatur illusurus.

Equ. vss. 1111—1120.

Χορ. *ὦ Δῆμε, καλήν γ' ἔχεις*
ἀρχήν, ὅτε πάντες ἄν-
θρωποι δεδίασί σ' ὥς-
περ ἄνδρα τύραννον.
ἀλλ' εὐπαράγωγος εἶ,
θωπευόμενός τε χαί-
ρεις κἀξαπατώμενος,
πρὸς τόν τε λέγοντ' ἀεὶ
κέχηνας· ὁ νοῦς δέ σου
παρὼν ἀποδημεῖ.

Elegantissimus, qui his in versibus latet, verborum lusus interpretes effugit.

Sic enim vertit Kusterus: O imperium qui habes pulchrum —
. . . . procul sed corpore abest mens.

Berglerus: O Popule, praeclarum utique habes imperium
. . . . . mens autem tua praesens est absens.

Ribbeckus: O Demos, beneidenswert ist deine Gewalt. —
. . . . . der Verstand indess schweift auswärts zu Hause.

Seegerus: Demos, wie du gewaltig bist . . . .
Witz ergeht sich wo anders.

Hieron. Muellerus: Wie herrliche Macht du übst, o Demos,
. . . . . doch schweifet der Geist ab.

Unus mihi sit exceptus Ioh. Gust. Droysenus. Qui vir docmus cum tam egregie hanc comoediam in nostram linguam rerterit, ut, utrum ingenii acumen, quo secretiores et paene nditas indagaverit versuum venustates, an vertendi magis adris peritiam, saepe nescias, hosce quoque suis versibus ita lidit, ut dummodo Aristophanis lusum perspexeris, vestigia etiam in versione tibi videaris deprehendere. Etenim cum i canticum verbis ὦ Δῆμε incipiat, desinat in νοῦς δέ σου παρὼν δημεῖ, dubium non est, quin non magis παρὼν ἀποδημεῖ oxymo-, quod vocant, efficiat, quam Δῆμος ἀποδημῶν bellissimum ım.

Quae res cum ita sit, praestantissime Droysenus sic vertit:

> Wol ist dir, o Volk, bestellt
> Die herrlichste Macht der Welt;
> . . . .
> . . . sitzend verlierst du dann
> den Witz in die Wolken.

Atqui quoniam non in vocabulis „wol," et „Wolken" sed in stantivis „Volk," et „Wolken" lusus, qualiscunque est, contine- populi vero nomen non ea in versus sede collocatum est, ut abarum similitudines facile auribus percipiantur, non inutile i haec pluribus pertractare. Est enim quasi dicas sermone naculo: Geehrte Versammlung . . . du bist nicht gesammelt, latine: O curiales, rerum vestrarum estis incuriosi, O contio! sani tibi es conscia, vel: Habes imperium pulchrum, o popule, es hebes! Imperium habes, o popule, sed mentis es expers, quae sunt huius generis sexcenta.

Equ. vss. 1131—1137.

Χορ. χοὖτω μὲν ἂν εὖ ποιοῖς,
εἴ σοι πυκνότης ἔνεστ'
ἐν τῷ τρόπῳ, ὡς λέγεις,
τούτῳ πάνυ πολλή,
εἰ τούσδ' ἐπίτηδες ὥς-
περ δημοσίους τρέφεις
ἐν τῇ πυκνί.....

Numquis unquam talem sententiam se legere meminit et apud eum Aristophanem, qui aliorum poëtarum ἱμονιοστροφικὰ μέλη facete irriserit? Ne quis vero quidquam mutandum esse putet his in versibus! Non opus est Bergleri (καί σοι) neque Dobraei (οὖτω in vs. 1134) coniecturis, si modo, cur haec verba ita composuerit poëta, intellexeris. Lusum inesse scito his in versibus, lepidissimum lusum! Cur enim πυκνότης dixit poëta, cur alium finxit vocis sensum, in quem nemo incidit, etiamsi centies Homeri πυκινὰς φρένας puer didicerit? Num forte metri angustiis elegantissimus poëta premebatur? An est locus, in quo πυκνότης prudentiam, sagacitatem, sanam mentem significet? Non reperitur usquam! Verum τὴν πυκνότητα τοῦ Δήμου praedicat, ὅτι ἐν τῇ πυκνὶ τούτους τοὺς δημοσίους τρέφει. Quod substantivum ut explicaret et iocum spectantibus commendaret, alteram illam conditionalem sententiam priori adiunxit, εἰ τούσδ' ἐπίτηδες ὥςπερ δημοσίους ἐν τῇ πυκνὶ τρέφεις. (Oppido es vafer, si in oppido tibi alis . . .).

Equ. vs. 164.

Ἀλλαντοπώλης. τί μ', ὠγάθ', οὐ πλύνειν ἐᾷς τὰς κοιλίας
πωλεῖν τε τοὺς ἀλλᾶντας, ἀλλὰ καταγελᾷς;
Δημοσθένης. ὦ μῶρε, ποίας κοιλίας; δευρὶ βλέπε.
τὰς στίχας ὁρᾷς τὰς τῶνδε τῶν λαῶν; Ἀλλαντοπ. ὁρῶ.

Cui Δημ. vs. 164: τούτων ἁπάντων αὐτὸς ἀρχέλας ἔσει κτλ.

Erant qui Aristophanem hac dorica voce ἀρχέλας tragicos poëtas irrisisse perspicerent, quamquam unum Bothium etiamsi haesitantem aperte dicere memini: παρατραγῳδεῖ. Atqui hac de re non erat dubitandum. Quis enim est, qui teneat risum, cum tam nobile nomen ignobilissimo turpissimoque homini inditum audiverit? Est vero hic versiculus aliis etiam facetiis tamquam gemmis ornat. Nam si quis Demosthenem cum isiciario, cui ἀλλαντοπώλης gr[aecum] est nomen, colloqui et iam versu 162. isiciorum (ἀλλᾶντ

mentionem esse factam reputaverit, facile ille nomine ἀρχέλας vocis ἀλλᾶς sonum reddi sibi persuadebit; idem enim hic valet ἀρχέλας, ac si dixisset poëta ἀρχ-αλλᾶς, sive mavis ἀλλαντάρχος. Vertes igitur: „Quid tibi cum botulis? Populos regnare memento!"

Ac summam quidem totius ioci iam scholiastae viderunt. Sic enim — qua de re celamur ab iis, qui ante Duebnerum scholia Aristophanica ediderunt — auctore Bentleio in schol. cod. Ven. legendum: ἀρχέλας: Ἄρχων τοῦ λαοῦ. ἡγεμών, ἔξαρχος, δημαγωγός. ἔπαιξε δὲ τῷ ὀνόματι. φησί γὰρ ἄρξεις τοῦ ἐλεοῦ. (pro τοῦ λαοῦ.) Quae verborum similitudo — ἀρχ-ελεός dico (v. v. 152) et ἀρχέλας — quamquam est tantula, quam Magno Bentleio in emendando scholio sequi licuerit, tamen cum ἀλλᾶς et ἀλλαντοπώλης nomina per totam comoediam iactentur sexcenties, Agoracritus ille attentissimo cuique spectatori ἀρχαλλᾶς magis quam ἀρχελεός videri debebat vocatus esse.

Nub. vs. 44.

Strepsiades Atheniensis propter aes alienum, quod filius conflavit, gravissimis curis vexatus frustra conatur obdormire. Quem ubi animadvertit huc illuc in lecto se versantem, quae causa sit insomniae, filius expergefactus interrogat. Ac primum quidem benigne filio senex respondet lepideque cum illo a feneratoribus sese veluti cimicibus exagitari conqueritur. Tum vero pronubae, quae fuit quondam, male precatus his pergit Strepsiades in vs. 43:

ἐμοὶ γὰρ ἦν ἄγροικος ἥδιστος βίος,
εὐρωτιῶν, ἀκόρητος, εἰκῇ κείμενος . . . κτλ.

quos versiculos sic vertit Berglerus: Mihi enim rustica vita erat suavissima, squalida, incompta, neglegenter abiecta.

Quodsi ille, quae voluerit intellegi poëta, intellexit, ἀκόρητος adiectivo sordidum, squalidum, impurum, immundum, scopae labore intactum significavit. Atque est profecto haec scholiastarum, Suidae, doctorum virorum omnium sententia. Quorum quamquam nec potuit nec poterit unquam effringere auctoritatem; utrum Hesychius verbi alicuius memoriam nobis prodiderit necne, non tamen vituperabit quisquam, si, quod vocabulum hoc sensu adhibitum est in totius Graecitatis versiculo nullo, ne in Hesychii quidem lexico aliam quam apud Homerum habere notionem meminerimus. Causas

vero reputanti mihi, propter quas insolito ac paene singulari indoctus senex usus esset sermone: ‚*βίος ἀκόρητος*‘ non poteram non incidere in eum verborum lusum, quem horridiores interdum Musae non semel Aristophani inspiraverunt. Agedum, paucis rem conficiam! *Κόρεις* substantivum audiri putabam praeter *κορεῖν* verbum. Dicit igitur Strepsiades se senem filii gratia obaeratum veluti cimicibus excruciari, ante annos cum caelebs ruri degeret, elegantiore quidem vitae caruisse apparatu (*εὐρωτιῶν*), sed securum quievisse a cimicum illorum morsibus. An sit forsitan, cui fine quoque huius versus *εἰκῇ κείμενος* quantum iuvemur pluribus demonstrem? Quid quod senex toto sermone usque ad versum 55 producto prodigam magis rerum omnium uxorem, quam propter alia vitia molestam tristi vultu lamentatur!

Av. vss. 914—916.

Ποιητής. *ἐγὼ μελιγλώσσων ἐπέων ἱεὶς ἀοιδάν,*
Μουσάων θεράπων ὀτρηρός,
κατὰ τὸν Ὅμηρον.
Πεισθ. *ἔπειτα δῆτα δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις;*
Ποι. *οὔκ, ἀλλὰ πάντες ἐσμὲν οἱ διδάσκαλοι*
Μουσάων θεράποντες ὀτρηροί,
914 *κατὰ τὸν Ὅμηρον.*
Πεισθ. *οὐκ ἐτὸς ὀτρηρὸν καὶ τὸ ληδάριον ἔχεις.*
916 *ἀτάρ, ὦ ποιητά, κατὰ τί δεῦρ᾽ ἀνεφθάρης;*

Pisthetaerum, novae avium urbis conditorem, vs. 915: *ὀτρηρὸν Μουσάων θεράποντα*, strenuum illum, ut dicit Kusterus, Musarum ministrum irrisisse iam a scholiasta perscriptum est. *Παίζει*, inquit, *παρὰ τὸ ὀτρηροί, ὅτι τετρημένον ἦν αὐτοῦ καὶ τὸ ἱμάτιον.* Alterum vero, qui in proximo versu 916 latet, verborum lusum, ne viri docti quidem perspectum habuerunt. Etenim cum toties *κατὰ τὸν Ὅμηρον* dixerit misellus poëta, quoties *ὀτρηροῦ Μουσάων θεράποντος* nomen et munus profitebatur, non minus addita illa verbis clausula *κατὰ τὸν Ὅμηρον* quam ipsa, quae praecedebat sententia, rideri debebat. Quod nobile strenui Musarum ministri nomen cum Pisthetaerus versu 915 designaverit, etiam *κατὰ τὸν Ὅμηρον* illud, quo maiorem sibi auctoritatem poëta parare studuerat, iocose perstrinxit verbis *κατὰ τί ἀνεφθάρης.*

Quamquam igitur habent haec verba proprium illum, quem etiam in Nub. vs. 238 inesse Berglerus notavit sensum, prius

tamen, quam κατὰ τί „ad quid?“ vel „cuius rei gratia?“ significare intellexeris, non poteris, quin „secundum quid?“ vel „qua re cogente“? suspiceris intellegendum. Bis enim cum κατὰ c. acc. illo, quem modo dixi, sensu adhibitum audiverimus, veluti mentis quadam consuetudine ac paene dixi auditus memoria impellimur, ut tertium quoque eandem hanc eiusdem praepositionis vim exspectemus.

Av. vss. 1053—1054.

Ἐπίσκοπος. ἀπολῶ σε, καὶ γράψω σε μυρίας δραχμάς·
Πεισθέταιρος. ἐγὼ δὲ σοῦ γε τὼ κάδω διασκεδῶ.

Ad hunc versum posteriorem explicandum nec Kusterus nec Berglerus quidquam attulerunt; Brunckii tacent et Bothii, Kockius quoque meus obmutuit et ne e Bekkerianis quidem thesauris quidquam disces, nisi forte διασκεδῶ atticum esse futurum ignoraveris. Attamen sunt in hoc versu, quae velis explicari. Sed priusquam ipse ad rem accedam, interpretes rogabo sententias. Inter quos sic vs. 1054 verterunt

cum Kustero Berglerus: Ego vero tuas amphoras comminuam,
Rositinus (a. 1545): Ed io farò andar da male i tuoi cadi,
Droysenus: Vorerst zerschmettre ich dir die Urnen beide,
Seegerus: Ich reiss' dir dein Decret in tausend Fetzen;
Hier. Muellerus: Und ich zerschlage deinen ganzen |Kram |da dir.|

Qui viri docti cum in interpretando verbo διασκεδῶ miro quodam modo consentiant, Papium quoque et Passovium non minus quam Hesychium et Suidam lexicographos consulemus.

Ec sic quidem Suidas: Διασκεδαννύουσι. διασκορπίζουσι. λέγεται δὲ καὶ διασκίδνησιν. Ἰώσηπος· Οὔτε γὰρ ἀταξία διασκίδνησιν αὐτοὺς τῆς συντάξεως τῆς ἐν ἔθει. Hesychium evolve, qui haec tantum notavit: διασκεδάσει. διασκορπίσει. διασκίδναται. διασκορπίζεται. In God. Bernhardyi Suidae lexici editione haec verborum illorum versio latina legitur: „Διασκεδαννύουσι. dissipant. dicitur etiam διασκίδνησι, dissipat et qu. sqq.“ Quaeres, quae sit dissipandi notio; accedes ad Forcellini uberrimos latinitatis fontes et haec inde hauries: „Dissipo, διασκεδάζω, dispergo, diffundo, disturbo, disiicio: ab obsoleto sipo, vel supo, teste Festo, significat iacere, unde dissipare disiicere.“ E scriptorum locis, quos illic congessit multos, haec tibi effinges exempla: ignis cuncta disturbat ac dissipat (Cic.), hasta dissipat auras (Stat. Th.), simia sortes dissipat

(Cic.), alii animum discedere, alii dissipari putant (Cic.), Medea fratris membra dissipat (Ov.). Quid multa? Dissipare est zerstreuen, nil praeterea. Quam ob rem cum ea modo possint dissipari, quae e particulis et iis quidem multis constant et veluti conflata sunt, ut farris, pulveris, granorum acervi, unus ille, quem apud Forcellinum legimus, Vitruvii locus, quippe qui de quadratis turribus ageret machinis celerius dissipandis, quominus haec statueremus, videbatur obstare. Sed ne ille quidem! Nam praeterquam quod Vitruvius ipsi Forcellino insolita quadam ratione hoc dissipandi verbo illo in loco usus esse videbatur, ita ut addiderit: „hoc est: perfringunt, evertuntque," non solidae erant turres illae, neque unum atque individuum cohaerente in semet ipsa materia corpus efficiebant, sed ex ingenti partium particularumque numero confectae erant ac compositae. Poterant igitur hae partes, quotquot fuerunt, vi aliqua in turrim illata divelli rursum ac disiici. Quibus dispersis ac dissolutis cum ipsa turris pereat, iure illam Vitruvius dissipatam vocat, velut disiiciendo deletam. Quae res cum ita sit, nihilo magis hoc loco efficitur, ut sit dissipare idem ac perfringere et evertere — possent enim, quaecunque fracta sunt et eversa, dissipata nominari — sed manet huic verbo pristina vis ac notio delendi disiiciendo.

Ac descendamus nunc quidem ex hac Romana arena in campum palaestramque Graecorum, unde longius paulum deflexit dissertatio. Quae si longum, sed efficax, ut dicunt, per exempla iter decurreret, omnibus in locis auctore Passovio διασκεδαννύναι idem ac διασκορπίζειν, dissipare, facile nobis persuaderemus valere, hoc uno Avium versu communi omnium virorum doctorum consensu excepto. Hoc enim, inquiunt, in versu διασκεδῶ est διάξω, διαῤῥήξω, frangam, comminuam. At nunquam fuit; pace horum virorum dixerim! Immo bellissimus lusus hic latet, qui umbratiles grammaticos seriosque lexicographos ad unum omnes bellisime illuserit. Namque cum ἐπίσκοπος ille et imprimis etiam cadi, quos velut honoris signa secum gestabat, quibus ad ea, quae vellet, statim rata facienda uteretur, iampridem novae urbis conditorem omnis contionum iudiciorumque patriorum miseriae commonefecissent eique bilem summopere movissent, [1]) non praetermisit

[1]) v. vs. 1032 Πεισθ. οὐκ ἀποσοβήσεις; οὐκ ἀποίσεις τὼ κάδω;

Pisthetaerus, quin iterum in hosce cados inveheretur et verbis ludens minitaretur: *τῷ ΚΑΔΩ διασΚΕΔΩ*, deine Krüge werde ich dir zerkriegen, ista vasa „devastabo." Est certe haec futuri temporis forma verbi *διασκεδάννυμι* et habet quoque solitam disiiciendi notionem, sed non est in hac insistendum verbi *διασκεδάννυμι* radice, quippe quae „frangendi" vim non habeat. Quae vis cum efficiatur sola priore verbi particula *διά*, „entzwei," ita ut, si solum sensum spectes, voce *ῥήξω* vel *ἄξω* opus non fuerit, eam addidit poëta verbi formam „*σκεδῶ*", quae praecedenti vocabulo *κάδω* esset simillima, ut toto vocabulo velut ex adverbio *διά* et substantivo *κάδος* composito „urceos fractum iri" significaret. Quodsi igitur verbo *σκεδαννύναι* solito modo uti voluisset, *τὰς ψήφους* dixisset, quas tabellas in urceos suffragia ferentes immittebant;[1] *κάδους* vero, inquam, nihilo magis „*διασκεδάννυμεν*", quam urceos „dissipamus!"[2]

Vesp. vss. 156—160.

Φιλοκλέων. *τί δράσετ'; οὐκ ἐκφρήσετ', ὦ μιαρώτατοι,*
δικάσοντά μ', ἀλλ' ἐκφεύξεται Δρακοντίδης;
Ξανθίας. *σὺ δὲ τοῦτο βαρέως ἂν φέροις; Φιλ. ὁ γὰρ θεὸς*
μαντευομένῳ μοὔχρησεν ἐν Δελφοῖς ποτέ,
ὅταν τις ἐκφύγῃ μ', ἀποσκλῆναι τότε.

Quantus fuerit Aristophanes in oraculorum obscuritate irridenda, cum nemo ignoret, non argumentis opus erit, ut in versu 160 verborum lusum inesse evincam. Quem versum cum Xanthiae servi exclamatio *Ἄπολλον ἀποτρόπαιε, τοῦ μαντεύματος* excipiat, qua aptiorem non poterat invenire poëta, ut eorum, qui spectarent fabulam, ad ambiguum verbum animos intenderet, ne mentionem quidem fecissem foetidi ioci, cuius similes haud magno labore impertito sat multi apud Aristophanem invenirentur, nisi non solum Kusterus, Berglerus, reliqui, quorum annotata in Arist. com. Im. Bekkerus congessit, sed etiam Iulius Richterus, quamquam, si ludendo verum velis dicere, fere augustus Aristophanearum facetiarum iudex est nominandus, silentio hunc lusum praeteriissent. Quem cum ne Hieronymus quidem Muellerus sensisset, eos, qui essent lecturi eximiam hanc Vesparum comoediam, his paucis

---

[1]) Quibus de rebus iudicialibus legisse iuvabit I. Richteri in Vesp. proleg. c. IV. praesertim pag. 128—131.

[2]) cf. quae Schneidevinus ad Soph. Antig. v. 287 annotavit.

adducere volebam, ut Seegeri et Droyseni acrius perpenderent versiones. Vix enim mihi persuasi potuisse fieri, ut tanti viri tamque deliciarum Aristophanearum intellegentes ignari ac paene inviti ambigua poëtae verba ambigue verterent. Quis igitur ἐξέφυγεν? τὶς certe! Quid porro fecit τὶς ille? ἐξέφυγε nimirum, Eugepae! caveant tirones nasuti!

Vesp. vss. 286—289.

Iudicum Atheniensium chorus in Vespas transformatorum miratus, quod Philocleo acerrimus iudiciorum sectator ad se non accederet, accuratius etiam eam, quae ex antecedentibus colloquiis apparuerat, senis in reos omnes atrocitatem describit. Atque adeo acerbum semper et infestum iis, quorum causa ageretur, fuisse Philocleonem querebantur, ut verendum esset, ne febri laboraret severus iudex, cum priore die, quem damnari voluisset, omnium fere sententiis esset crimine absolutus. Quam ob rem, quem aegrotare putant collegam, reliqui senes his adhortantur:

ἀλλ', ὠγάθ', ἀνίστασο μηδ' οὕτως σεαυτὸν 286
ἔσθιε, μηδ' ἀγανάκτει.
καὶ γὰρ ἀνὴρ παχὺς ἥκει
τῶν προδόντων τἀπὶ Θρᾴκης·
ὃν ὅπως ἐγχυτριεῖς. 289

Quos versus cum omnes VV. DD. simili modo et verterint et explicaverint, unius vs. 289 exscribam versiones:

Kusteri: hunc quomodo multes, vide.
Bergleri: quem tu foedare debes et perdere.
Brunckii: quem vide ut infames plectasve capite.
Droyseni: In die Bluturne mit dem!
Seegeri: In den Bluttopf, Alter, hinein mit dem. [1])
H. Muelleri: In das Stimmtöpfchen mit ihm!
I. Richterus verbum ἐγχυτρίζω vertit: einsacken.

Omnes igitur viri docti scholiastarum explicationes huius verbi plane sunt secuti, qui haec prodiderunt: ἐγχυτριεῖς ἀποκτενεῖς. μετενήνοχεν δὲ ἀπὸ τῶν ἐν ταῖς χύτραις ἐκτιθεμένων βρεφῶν. (Ravenn.) ἀπὸ τῶν ἐκτιθεμένων παιδίων ἐν χύτραις, διὸ καὶ Σοφοκλῆς ἀποκτεῖναι χυτρίζειν ἔλεγεν ἐν Πριάμῳ, καὶ Αἰσχύλος Λαΐῳ καὶ Φερεκράτης. ὅθεν

[1]) Haec praeterea Seegerus in notis addidit: „Die Urne, in welche man die schuldigsprechenden Steine warf."

καὶ ἐγχυτριστρίας ἐκάλουν τὰς διακονουμένας τὰ βρέφη. καὶ νῦν οὖν ὡς ἐπὶ ἀπωλείας τοῦ κριθησομένου ἔθηκε τὴν λέξιν. παρ' ὅσον τὰ ἐκτιθέμενα ἢ εἰς ὄρος ἢ εἰς ἔρημον τόπον βάλλεται. (Venet.). Hisce magnam partem similia etiam apud Suidam legimus sub voce ἐγχυτρίστριαι. αἱ τὰς χοὰς τοῖς τετελευτηκόσι ἐπιφέρουσαι. Μίνως ἢ περὶ νόμου. ἔλεγον δὲ καὶ τὸ βλάψαι καταχυτρίσαι· ὡς Ἀριστοφάνης. [1]) Ἐγχυτριστρίας δὲ λέγεσθαι καὶ ὅσαι τοὺς ἐναγεῖς καθαίρουσιν, αἷμα ἐπιχέουσαι ἱερείου· καὶ τὰς θρηνητρίας, ἔτι γε μὴν καὶ τὰς μαίας τὰς ἐκτιθείσας ἐν χύτραις τὰ βρέφη, quae verba Musurum perperam scholiis immiscuisse Duebnerus ad id Vesparum scholion annotavit, quod supra laudavimus.

Exagitavit igitur hic locus non mediocriter vel antiquissimum quemque Aristophanis commentatorem, quo meliora ne recentiores quidem interpretes invenerunt. Verumtamen non erat divinantis intellegere, cur poëta ἐγχυτρίζειν mallet dicere, quam καταδικάζειν, ἀπολλύναι, ἀποκτείνειν, βλάπτειν denique, ut illi volunt, cum χύτρα et χύτρος nil praeter ollam, nunquam κάδον sive κάδισκον, iudicialem illam urnam, significent. Lusit nimirum, non sonis, sed vi ac notionibus vocabulorum ἔσθιε, παχύς, ἐγχυτριεῖς. Namque praeter eam, quae in sententia μὴ ἔσθιε σεαυτόν solet inesse, significationem, verbo tenus illam intellegi voluit, eodem modo, quo multis proverbiis ac phrasibus privo vocabulorum sensu iocatur adhibitis. Quid quod ipse Philocleo, quem chorus his verbis alloquitur, cum alter Ulixes aselli sumini alligatus a filio deprehenderetur, interrogatus περὶ τοῦ μαχεῖ νῷν δῆτα; Bdelycleoni in vs. 191. respondit περὶ ὄνου σκιᾶς! Quibus verbis non vilem quandam litem, sed ridiculam fugam asini ventre et umbra tectam se moliri servata pristina vocabulorum notione designavit. Παχεῖς porro non divites tantum dicuntur, sed ii etiam, qui ipsa corporis natura pingues sunt. Ἐγχυτρίζω τι denique proprie est: in olla aliquid ponere, videlicet ut coquamus. Quae cum bene intellexerit Florens Christianus, fere mirandum est, quod, quamvis non modo doctus fuerit, sed, cuius similes raros invenias, sagax et facetus, tam prave huius loci sensum detorsit. „Est, inquit, coquere in olla, id est dolore afficere et velut conficere.“ Quasi gallinas et bubulas

[1]) memoria videlicet illum fefellit; scribere debebat ἐγχυτρίσαι; Flor. Christ. alibi Aristophanem hoc vocabulo usum esse putavit.

suillasve carnes coquamus, ut eas doloribus excruciemus! Nae carnifices erant isti Gallorum saeculo XVI. coqui! Nos vero mitioribus instituti moribus voluptatis nostrae gratia igne eas urimus et coquimus, quo molliores reddamus et cuticulam nostram magis curemus.

Ac ne quis alia ratione hunc, de quo agimus, versum explicet! Hoc enim, ita vivam, dixit poëta: Noli temet ipsum ira consumere! Crastinum opperiare diem. Pinguiorem devorabis offam! Quam in olla tua bene coctam et elixam mordicus tenebis!

Quae cum liberiore modo in latinum sermonem converterim, quo clarius etiam alter, quem solum hoc in loco inesse isti putaverant, appareret verborum sensus,[1]) reliquum est, ut dicam Aristophanem easdem has facetias aliis quoque verbis potuisse exprimere et ita quidem, ut lusus non tantum in notionibus, sed in ipsis verborum formis et sonis inesset. Dicere enim poterat: *μὴ οὕτως σεαυτὸν δάκνε· καὶ γὰρ ἀνὴρ παχὺς ἥκει· ὃν ὅπως δήξῃ* (ψήφῳ). Cf. Vesp. vs. 253 *οὐ γὰρ δάκνει σ'; ὅταν δέῃ τίμιον πρίασθαι* (sc. τὸ *ἔλαιον*), Ach. vs. 376 *οὐδὲν βλέπουσιν ἄλλο ἢ ψήφῳ δακεῖν*, Vesp. v 778 *δάκνων σεαυτὸν καὶ τὸν ἀπολογούμενον.* Vide etiam, quae Flo Chr. et Conzius ad hunc versum annotaverunt.

Vesp. vs. 808.

ΒΔΕ. *ἰδού, τί ἔτ' ἐρεῖς; ὡς ἅπαντ' ἐγὼ φέρω*
ὅσαπερ ἔφασκον, κἄτι πολλῷ πλείονα.
ἀμὶς μέν, ἢν οὐρητιάσῃς, αὑτηὶ
παρὰ σοὶ κρεμήσετ' ἐγγὺς ἐπὶ τοῦ παττάλου. 808

Ac sic quidem vs. 808 consentientibus libris mss., quantum equidem video, omnibus in editionibus legitur, una I. Richteri excepta. Is enim non quod Halbertsma legi voluit *ἀπὸ τοῦ παττάλου* (v. Dind. poët. sc. gr.), sed quod Th. Bergkius in prolegom. ed. II. proposuit *ἐκ τοῦ παττάλου* sine haesitatione recepit.

Neque erat indignus hac virorum doctorum cura versiculus Nam si quis, quos locos, in quibus *κρέμασθαι* inveniretur, O. Kreusslerus in Passovii lexico collegit, perlustret omnes, facile ille quidem *ἀπό τινος* vel *ἔκ τινος* dici intelleget, vel etiam *κρεμάννυμ ὕπερθέν τινος, πρός τι, ἔν τινι, τινά τινος* et etiam *ἀμφὶ ἀνθρώπων ἐπ' ἐλπίσι κρέμασθαι* passim discet reperiri, sed *κρέμασθαι ἐπί τινο*

[1]) „ne stomacheris, adest homo opulentus, quem perdere debes."

si quidem tanta Kreusslero fides habenda est, in solo hoc Aristophanis versu et apud Xenophontem etiam An. 3. 2. 19 legi comperiet. Nec potest hic Aristophanis versus cum Xenophontis illa sententia merito comparari. Clarissimus enim ille Graecorum dux idemque rerum suarum fortiter gestarum locupletissimus auctor pedites suos adhortaturus, ne Persarum equites metuerent, inter alia haec quoque disseruit: (An. 3. 2. 19.) *Οὔκουν τῶν γε ἱππέων πολὺ ἡμεῖς ἐπ' ἀσφαλεστέρου ὀχήματός ἐσμεν; Οἱ μὲν γὰρ ἐφ' ἵππων κρέμανται, φοβούμενοι οὐχ ἡμᾶς μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸ καταπεσεῖν· ἡμεῖς δ' ἐπὶ γῆς βεβηκότες πολὺ μὲν ἰσχυρότερον παίσομεν κτλ.*

Quae verba *ἐφ ἵππων κρέμανται* ut ostendam non convenire cum Aristophanis illo *ἀμὶς ἐπὶ τοῦ παττάλου κρεμήσεται*, non argutiis utar ita, ut *ἐφ' ἵππων* ad *Οἱ μὲν* referri debere contendam, ac si *οἱ ἐφ' ἵππων* idem valeat quod *οἱ ἱππεῖς* — sed cum *ἐφ' ἵππων* sit cum verbo *κρέμανται* iungendum, ita recitabo sententiam, ut non *ἐφ' ἵππων* voce efferam, sed verbum *κρέμανται*. Quod si feceris, facile, quid voluerit Xenophon, sentiemus. Non enim dixit: „illi enim e x equis pendent", quod ridiculum est, sed eos, qui equis veherentur, pendere magis quam sedere i n equis significavit. Tantum igitur abest, ut hoc loco *ἀφ' ἵππων* vel *ἐξ ἵππων* dicere potuerit Graecorum scriptor elegantissimus, ut eodem modo quo *καθέζομαι, ἱππεύω*, similia, etiam *κρέμαμαι* cum sola praepositione *ἐπί* recte videatur coniungi. [1])

Quod cum ita sit, unus Aristophanes et is nostro loco, in Vesp. vs. 808 *κρέμαμαι ἐπὶ τοῦ παττάλου* dixit eo sensu, ut matulam in clavo vel e paxillo pendentem describeret! Quid mirum, si alter *ἀπὸ παττάλου*, alter *ἐκ παττάλου* pro singulari illa et vitiata videlicet lectione *ἐπί* restituere conati sunt? Qui viri integerrimi si minorem *ὀρθοεπείας*, quam vocant Graeculi, curam habuissent, ubi, quem ceteri statuerunt sensum, hac in sententia non inesse intellexerunt, facile perspexissent nequissimum verborum lusum, si modo nefarium hominem apud intellecturos fuisse locuturum meminissent. Inter quos, quis erat, quin, quid vellet poëta sagax, sagaci mente praesentiret statim et velut odoraretur? Quid enim *πάτταλος*, nisi mentula! [2]) Quid tandem *ἐπὶ τοῦ πάτταλου*, nisi

---

[1]) vel etiam *ἐν*

[2]) Eccl. vs. 1020. *ἕλκειν ἀνατὶ λαβομένας τοῦ παττάλου.*

ἐγγὺς τοῦ παττάλου? [1]) Quae vox *ἐγγύς*, quo planior fiat sententia, non solum praecedit verba *ἐπὶ τοῦ παττάλου*, sed ita etiam est collocata, ut non ad initium *παρὰ σοὶ κρεμήσετ'* sed ad ipsum finem versus *ἐπὶ τοῦ παττάλου* sine dubio pertineat. Neque tamen ambiguitate caret versiculus. Re vera enim, id quod vss. 935 et 936: *ΦΙΛ. ἀμίδα μοι δότω. ΒΔΕ. αὐτὸς καθελοῦ* docemur, matula illa e paxillo aliquo pendebat, ita ut Bdelycleo, cum matulam in clavo vere suspendat, verbis *ἐγγὺς ἐπὶ τοῦ παττάλου* non sine fraude mentulam significet, ac si *ἐκ τοῦ παττάλου* servata elocutionis castitate dicere velit. Quam ob rem Venusinum vatem recordatus sic equidem non minus ambigue hunc versum vertam latine: „Iuxta te pendebit prope a palo.“ [2])

Vesp. vs. 921.

ΒΔΕ. *πρὸς τῶν θεῶν, μὴ προκαταγίγνωσκ', ὦ πάτερ,*
πρὶν ἄν γ' ἀκούσῃς ἀμφοτέρων. ΦΙΛ. ἀλλ', ὦγαθέ,
τὸ πρᾶγμα φανερόν ἐστιν· αὐτὸ γὰρ βοᾷ.

Versum 921 sic verterunt VV. DD.:

Droysenus: Mein Freund! die Sach' ist klar, die Sache selber schreit!

Seegerus: Die Sach' ist sonnenklar, sie schreit!

Hier. Muellerus: Doch es liegt die Sach' handgreiflich, Freund; laut schreit um Rache sie.

Schnitzerus latinorum interpretum [3]) vestigia acrius pressit et *γὰρ* voculam non neglexit. Sic enim ille: Doch guter Freund, die Sache liegt am Tage, denn sie schreit ja laut.

Iulius Richterus comparatis locis nonnullis, quibus alios quoque scriptores hac elocutioner *βοᾷ τὸ πρᾶγμα* in re manifesta usos esse ostenderet, quo de usu nemo certe unquam dubitabat, ita etiam nos dicit vocem selbstredend adhibere.

Cur vero Philocleo bis idem expressit omnino? Vel cur eam causam propter quam res esset manifesta, addidit, quod ipsa clamaret res, cum tamen „res clamat“ esse manifestam illam significaret? An forte ut vim sententiae prioris augeret, similem

---

[1]) Conferant tirones Hom. Il. 22. 152 *ἐπὶ τῶν πηγῶν πλυνοὶ ἔασι*, Thuc. 5. 34. *ἐπὶ Θρᾴκης*, Her. 7. 6. *αἱ ἐπὶ Λήμνου ἐπικείμεναι νῆσοι;* conferant praeterea lexica et Kruegeri gramm. gr. §. 68. 40. 2.

[2]) Hor. Sat. 1. 8. 5.

[3]) Berglerus et Brunckius: „res manifesta est; ipsa enim clamat.“

alteram apposuit? At *γὰρ* particula inutilis iaceret! Erunt igitur, qui dicant Philocleonem rem manifestam putare propter id, quod Labetem in ipso furto deprehendisset, aut quod ad liquidum exploravisset veritatem. At nil deprehendit, nil exploravit, non indagavit quidquam, nihil denique proferebatur, quo crimen probaretur. Verbis modo accusator egit et ne ad finem quidem orationem perduxit. Res vero ipsae, radula, olla, pistillum, craticula, reliqua vasa adusta postea demum inde a versu 936 a Bdelycleone totidem Labetis magni innocentiae testes invocantur et velut in medium tribunal proferuntur. Et ne id quidem concedere licet Philocleonem eam ob causam dixisse: „Res manifesta est; ipsa enim manifesta est“, vel „per se enim patet“, quo magis ostenderet se argumentis indiciisque, quaecunque essent, velle supersedere, cum nihil tantum tamque grave sibi videretur futurum, quod prohiberet, quominus Labetem condemnaret. Dixisset enim multo non modo melius, sed etiam veracius: *οὐδὲν ἔτι βούλομαι ἀκούειν*, vel *πλειόνων οὐ δεῖ λόγων*. Non igitur usus esset illo *αὐτὸ γὰρ βοᾷ*, nisi verbum *βοᾶν* omnino voluisset adhibere. Quod ut VV. DD. persuadeam, repetam versum 903.

Ubi cum canis Cydathenaeus *αὖ αὖ* latrans inducatur, quo e latratu senex statim cognoscit *ἀγαθὸν* esse *ὑλακτεῖν καὶ διαλείχειν τὰς χύτρας*, dein cum a versu 975. usque ad 979. vel catuli Labetis gannire iubeantur, dubium fere non est, quin etiam inter eos sermones, qui a vs. 903. usque ad 979 habentur, canes nonnunquam latraverint, ut, quo ipsi aut gaudio afficerentur aut dolore, disceptantibus viris ostenderent. Accedit quod Xanthias, qui servus accusatoris partes agit, aperte dicit *ἵνα μὴ κεκλάγγω διὰ κενῆς ἄλλως ἐγώ* (vs. 929), quibus verbis non esset usus, nisi canis saepius latravisset. Quid quod alterius canis taciturnitatem Bdelycleo (sic enim Bergkius) vs. 944. aperte improbat; quem non potuisset increpare, si canis uterque per totam hanc, in qua iudicium habetur, fabulae partem mutus astitisset. Est denique hac in re Aristophanis ingenio morigerandum, ut hanc scenam, quamvis sit omnis generis facetiarum plenissima, latrantibus canibus, quomodo verbis et actione commoveantur, aut alta aut tenui flebilique voce prodentibus, magis etiam ridiculam et, ut ita dicam, turbulentiorem quodammodo poëtam effinxisse putemus. Saepe enim etiam ranarum illud *βρεκεκεκὲξ κοὰξ κοάξ*, saepe avium *τιό*, plus semel etiam

in Ach. *χοιριδίων* illud *κοΐ* repetebatur, cum Aristophanes gaudere his spectantem popellum non ignoraret.

Itaque cum *αὖ αὖ* illud, quod habetur in vs. 903. saepius aut ab ipsis canibus, aut ab actore, aut denique a parachoregemate editum esse arbitremur, senem ad ipsum illum latratum voce *βοᾷ* respexisse censemus. Quod cum datur, egregie totus versus intellegitur. Dicere vero debebat *βοᾷ*, etiamsi non fuerit de canum ululatu usurpatum, cum *τὸ πρᾶγμα ὑλακτεῖ* vel *βαΰζει* nimis videatur insolitum. Latine autem auderem equidem lusum ita vertere, ut dicerem ambigue: „Manifesta res est; ipsa enim latrat.“

Duodecim expedivimus neglectos a reliquis verborum lusus; quos Aristophanici perpendant studiose. Alios, si Dionyso placuerit, a l i o d i e addemus.

Index locorum

in cap. III. et IV. tractatorum.

				pag.
Arist.	Equ.	vss.	164	42
„	„	„	351—352	38
„	„	„	407	39
„	„	„	1111—1120	40
„	„	„	1131—1137	42
„	Nub.	„	44	43
„	Vesp.	„	9—12	32
„	„	„	156—160	47
„	„	„	257	32
„	„	„	276	34
„	„	„	28 —289	48
„	„	„	358—364	33
„	„	„	432	34
„	„	„	718	33

				pag.
Arist.	Vesp.	vss.	808	50
„	„	„	921	52—54
„	Pac.	„	12—21	34—35
„	„	„	335—336	35
„	„	„	717	34
„	„	„	1007	34
„	„	„	1029	34
„	„	„	1299	34
„	Av.	„	914—916	44
„	„	„	1053—1054	45—47
„	Lys.	„	855	38
„	Thesm.	„	449—452	36
„	„	„	912	36—38
„	Plut.	„	253	38

Typis Ludovici Mayer, Viennae.